14159/B/1

O. III. E.
18

JO. FRID. BLVMENBACHII

PROF. MEDIC. ORDIN. M. BRITANN. R. A CONSIL. AVL.
SOCIET. R. SCIENT. GOTTING. ALIARVMQVE MEMBRI

DECAS
COLLECTIONIS SVAE CRANIORVM
DIVERSARVM GENTIVM
ILLVSTRATA.



GOTTINGAE
APVD IOANN. CHRIST. DIETERICH
MDCCXC.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Quam ſibi poſuerat legem LINNAEVS vir ſummus in ſpeciebus plantarum deſignandis, vt ſcilicet non niſi ſibi ipſi viſas plantas reciperet, ne dubia certiſſimis miſceret, toties, quod ipſe addit, eluſus ab auctoribus, tantum abeſt vt ipſi quod ab aliis factum vidimus, tanquam incredulam diffidentiam vitio vertamus, vt potius dolendum cenſeamus, eandem ſapientem normam in reliquo hiſtoriae naturalis ſtudio, zoologia praeſertim, ob longe maiores et magnam partem inuincibiles difficultates non aeque adhiberi poſſe.

Quantam enim *autopſia* huic ſtudio afferat lucem facile patebit vel ingentia eius incrementa, imo vero nouam quaſi et digniorem vere ſcientificam faciem perpendenti quam ab eo inde tempore nactum eſt, quo primum collectiones rerum naturalium quas *muſea* vocant condi coeperunt. Et eo magis ſane mirandum cultiores gentes Europaeas, in tanto, quo omni aeuo naturalem hiſtoriam coluerunt ſtudio, tam ſero tamen de eiusmodi muſeis, tamquam omnis naturalis ſtudii ſubſidio primo et principe et promo condo cogitaſſe. Aeque vero mirum per bina iſta cum dimidio ſecula quibus iam colligendi res naturales induſtria homines noſtros ad luxurioſum fere vsque exceſſum tenuit, vnice ea quae ad ipſius hominis naturalem hiſtoriam et *varietates* praeſertim *generis humani* attinent adeo negle-

ſta et praetermiſſa eſſe, vt et in ditiſſimorum alias muſeorum catalogis vix vnum alterumue id argumentum ſpectans ſpecimen reperias. Neque minus incomprehenſibile in vniuerſum hancce humani generis naturalem hiſtoriam tam diutiſſime incultam et neglectam iacuiſſe, ita vt et apud claſſicos et maxime polygraphos praeteritorum ſeculorum zoologos qui vniuerſum fere regni animalis ambitum indagando complexi ſunt, vt apud Conr. Gesnervm, Io. Raivm etc. vnice de ipſius hominis hiſtoria altiſſimum regnet ſilentium. Imo ſi a Fabricii a) philologico magis labore diſceſſeris, ante Buffonium vix vllus extiterit qui ea quae varietatem generis humani natiuam attinent curatius et ex profeſſo tractauerit.

Arriſit argumentum cum ante tria circ. luſtra de diſſertatione quam vocant inaugurali cogitarem, neque ab eo inde tempore idem horis ſubſeciuis vlterius indagare deſtiti, tum quod grauitate aeque ac amoenitate animum teneret, tum quod et amicum quaſi vinculum naturalem inter hiſtoriam et phyſiologiam praeberet; imo vero etiam quod mea intererat continuata iſtius agelli cultura ea quae in iuuenili illo opuſculo minus curate aut per transennam faltem dicta erant, renouatis curis emendare et quantum in me eſſet magis magisque ad naturae veritatem componere.

Inprimis vero eo vitio laborare libellum facile agnoui, quod in eo conficiendo fere vnice ex libris ſapere mihi licuerit, ita vt maxima pars eorum quae de hominum varietatibus continebat, non niſi ex itinerariorum farragine compilata, verbo ex charta in papyrum translata eſſet.

Nec ſtudio ergo nec ſumptibus peperci vt huic defectui quantum licebat mederer, vtque ſubſidia mihi compararem *ex ipſa natura petita*, quibus varietates gentium rite dignoſci poſſunt, crania viz., embryones, pilorum ſpecimina, aliasque corporis partes huic ſcopo inſeruientes. Denique vero et imaginum ad viuum curate factarum copiam.

Et

a) Io. Alb. Fabricii *diſſ. critica de hominibus orbis noſtri incolis, ſpecie et ortu auito inter ſe non differentibus*. Hamb. 1721. recuſ. in Ei. *opuſcular. ſylloge*.

Et annuente fortuna et ſuppetias ferentibus fautoribus et amicis rara mihi contigit felicitas inſignem id genus apparatum anthropologicum conquirendi, cuius ſpecimen, decadem ſcil. *craniorum diuerſarum gentium* in praeſentiarum exhibere et illuſtrare animus eſt. Craniorum inquam quibus ad gentilitias varietates diſtinguendas et definiendas nulla alia humani corporis pars aptior videtur, cum caput oſſeum (praeterquam quod animae domicilium et officina, imo vero interpres quaſi et explanator eius ſit, vtpote vniuerſae phyſiognomiae baſin et firmamentum conſtituens,) ſtabilitati ſuae maximam conformationis et partium relatiuae proportionis varietatem iunctam habeat, vnde characteres nationum certiſſimas deſumere licet.

Cum vero omnis vis et vſus eiusmodi rerum in ſtudio anthropologio vnice ex eo pendeat vt *genuinae* ſint, ante omnia regulas et criteria enarrare mihi liceat, quibus ipſe in diiudicandis craniis vtor.

Et quidem primum et princeps eſt vt de occaſione et via inquiramus qua cranium eiusmodi exoticum ad manus nobis venit. Ideo collectioni meae iunctas habeo epiſtolas autographas fautorum et amicorum a quibus iſta cimelia accepi et quibus tanquam documentis cuiusuis cranii authentica origo demonſtratur. Quae vllo modo dubia aut ambigua videri poſſint, ea ſeparatim pono, et de dubitationis cauſa in catalogo moneo.

Porro curioſe ſeruo partes acceſſorias cranio vni alteriue forte adharentes, ſi tales fuerint vt ipſae iam genuinam eius indolem demonſtrare poſſint; vt in mumiarum *b*) craniis bitumen aut byſſi

 reli-

b) Parum quidem antehac tribueram iis quae vulgo apud auctores, Alstonivm aliosque leguntur de mumiis ſpuriis, quae nuperis temporibus a fraudulentis hominibus in genuinarum imitamentum paratae et venditae fuerint. Ipſe tamen ante aliquot annos Norimbergae, apud nugiuendum quendam eiusmodi pſeudomumiam oculis meis vſurpaui cuius fraudulendam originem, etſi pro genuina venditaretur, praeter reliqua inuolucrorum curatior indagatio demonſtrabat, vtpote quae partim ſericeis, partim linteis laciniis conſtabant, pice conglutinatis, cum e contrario byſſi genuini ne veſtigium quidem deprehendere potuerim.

reliquias etc. Ita Caribaei cranio quod munificentiae perill. Bankſii Baroneti debeo, peropportune ſeruati ſunt paſſim adhaerentes capilli recti, rigidiuſculi, quibus vel primo intuitu ſi adhuc opus eſſet ſcrupulus tolli poteſt ne forte ad aethiopes pertineat fugitiuos *c*) quos Caribaeas inſulas et maxime inſulam *Sti Vincentii* inde a medio ſeculi praeteriti magno numero habitare, et paſſim indigenarum Indorum ſingularem capitis formam, artis imitamento acquiſitam prae ſe ferre *d*) notum eſt.

Tunc vero cranium ipſum ad examen reuocandum, et inquirendum num et vere characteriſticum ſit et anthropologico ſcopo inſeruire poſſit. Fieri enim poteſt vt et vere genuinum cranium tamen huic fini male reſpondeat ſi forte morboſa affectione laboret, aut indiuiduali partium diſproportione quam caſus intulit, deformatum ſit. Ita enim et inter noſtrates paſſim occurrunt homines capitis forma adeo ſingulari conſpicui, vt ſi eadem vniuerſae cuidam genti communis eſſet, haec inter varietates humani generis iure meritoque poneretur. Cauendum ergo ne et in exotico cranio ſimilem fortuitam deformationem pro gentilitia ſumamus; cui quidem errori omnium optime obuiatur ſi plura eiusdem gentis crania inuicem comparare licet.

Si hoc non datur, imagines ſaltim conferendae ad viuum factae, et quibus aut artificis docta manus, aut periti iudicis autoptae teſtimonium fidem facit.

Refero huc quoque, imo vero praefero ſubinde icones quae, etiamſi non perſonam aliquam vt vulgo dicitur, exhibeant, tamen

c) Cf. Labat *voyage aux Iles de l'Amerique* ed. 2. T. VI. pag. 243 ſq. — „*L' habillement uniforme n' empêche pas qu'on ne diſtingue aiſément les* „*Caraïbes des Négres, ces derniers ont les cheveux creſpus et fins comme* „*de la laine, au lieu que les Caraïbes les ont noirs, longs, droits, et* „*fort gros.*„

d) Cf. Thibault de Chanvalon *voyage à la Martinique* p. 39 ſq. — „*Les negres introdruits chez les Caraïbes en prirent les moeurs et les cou-* „*tumes. Ils applatirent, comme eux la tête de leurs enfans par devant,* „*en la comprimant entre deux planches dès qu' ils ſont nés, ce qui la rend* „*difforme et monſtrueuſe.*„

men characterem gentis egregie demonſtrant, vt antiqua ſigilla et idola Aegyptiaca, aut icunculas hodiernorum Sinenſium, Calmuccorum, Indorum Americae borealis etc.

Denique et auctores adeo, itinerarios praeſertim, et quatenus eorum relationes cum ipſa natura conueniant, diſpicio.

Aut grauiter fallor, aut neglectus critici huius ſtudii in craniis diuerſarum gentium rite examinandis cauſſa eſt miri diſſenſus et contradictionum quibus ea ab inuicem diſcrepare videmus quae paſſim de ſpecifica et characteriſtica nationum quarundam capitis figura apud egregios ceteroquin auctores relata legimus. Quando vc. deſideratiſſimus Campervs characterem Calmuccorum in anguſta et quaſi carinata cranii eorum forma ponit, quam e contrario latitudine ſingulari vel primo intuitu conſpicuam eſſe omnes qui eam gentem norunt vno ore teſtantur. Aut ſi Daubentonivs Sinenſium crania in muſeo Pariſino ſeruata nullatenus a gallicorum hominum capitibus differre ſcribit, cum Linnaevs e contrario Sinenſes ob anomalam plane conici capitis figuram in ſyſtemate naturae ad monſtroſas hominum varietates referat.

Proximum eſt vt iam ea momenta enarrem quibus maximē crania ab inuicem diſcrepant et vnde ergo characteres eorum diſtinctiuos deſumere licet.

Non defuerunt viri cel. et egregie anatomice docti qui peculiarem lineam conſtituerent tanquam normam ſ. regulam ad differentiam craniorum hominis et brutorum determinandam; quo vc. occipitalis linea Daubentonii v. cl. et facialis amiciſſimi Camperi pertinent. Ille ſcil. binas lineas rectas animo concipit: alteram nempe inde a margine poſtico foraminis magni occipitalis per marginem inferiorem orbitae, decurrentem: alteram vero per planum horizontale iſtius foraminis magni, media inter vtrumque condylum via, ductam: angulumque quo binae iſtae lineae inuicem concurrunt pro normali quaſi cranii charactere habet. Campervs contra alias binas lineas rectas ſe inuicem ſecantes conſtituit. Primam

mam nempe horizontalem per meatum auditorium externum *e*) et narium oſſearum fundum ductam. Alteram vero quae oſſis frontis ſupra naſum prominentem partem tangit et inde ad extremum vſque limbum alueolarem ſuperioris mandibulae decurrit. In angulo qui binarum iſtarum linearum concurſu efficitur conſtare credidit vir egregius non ſolum differentiam animalium ſed et diuerſarum generis humani nationum.

Vtraque vero harum regularum, etſi ingenioſe excogitata, mihi tamen magis ad craniorum diuerſitatem in brutis animantibus quam in humani generis varietatibus definiendam, apta videtur. Vt enim taceam eſſe in quarundam nationum craniis characteres diſtinctiuos in quae neutra iſtarum linearum cadit (quale quid vc. iam inter Europaeas de Scotis relata legimus *f*) quos malarum prominentia inſignes dicunt,) in vniuerſum tamen ab vna parte variabilis vtriusque lineae in craniis vnius eiusdemque gentis inconſtantia, et ab altera e contrario ſimilitudo eiusdem in craniis toto reliquo habitu mirum quantum ab inuicem diſcrepantibus, cuiuis cui copia craniorum ad manus eſt, facile patebit.

Quod enim Daubentonii occipitalem lineam attinet, directio plani foraminis magni in eiusdem gentis capitibus (vt vc. in binis Turcarum craniis quae dum haec ſcribo ad manus ſunt, aut in tribus aethiopicis quae infra recenſebuntur) diuerſiſſima ſaepe conſpicitur.

Contra-

e) Ita in Et. *kleinere Schriften* T. I. P. I. pag. 15. In alio vero opere ſcil. *natuurkund. Verhandel. over den Orang outang* etc. tab. II. fig. 2. eandem lineam horizontalem infra tuberculum ducit, quod maſtoideo hominis proceſſui reſpondet.

f) „*Quis celſas Scotorum malas explicauerit? nemo. An ideo ſpecie diſcrepare* „*habendi ſunt?*„ cl. Io. Hvnter *de hominum varietatibus* pag. 3.

„*The high cheekbones of the Scotch are a national feature.*„ S. R. Ramsay *on the treatment of African ſlaves* pag. 217.

„*Die hohen Jochbeine und die daher entſtehende Form der Backen gaben* „*dem Cptn. Cook ein etwas ſchottiſches Anſehn.*„ coniunctiſſ. Lichtenberg in *Götting. Magazin* 1780. P. II. pag. 287.

Contrario fere vitio Camperi facialis linea laborare videtur quod nempe ſatis ſimilis eſſe poſſit in craniis cetera reliquo vniuerſo habitu toto quod aiunt coelo ab inuicem abhorrentibus: maxime ideo, quod naſi directionis nulla in ea habita ſit ratio. Eſt, vt exemplo vtar quod vt tot alia munificentiae Perill. L. B. de Asch debeo, inter nouem crania quibus paucis abhinc ſeptimanis denuo me donauit vnum e gubernio Koſtromenſi quod ſi facialem eius lineam ſpectes, qualem Campervs definiuit, a forma veterum Graecorum ideali proxime abeſt; ſi vero naſum horride depreſſum et vniuerſum reliquum habitum conſideres e tali ſtemmate ortum potius peierares quo monſtroſa facies pertinet quam S. R. Lavater pro Baſchkirenſi exhibuit *g*).

Aptius ſane quod facies humanas attinet a latere viſas, anthropologico ſcopo inſeruiet immortalis viri Alb. Dvreri ſchema quod in egregio opere de ſymmetria partium in rectis formis humanorum corporum ea ſectione vbi de virilis capitis compoſitione agit *h*), primo ſtatim loco poſuit, quodque ternas faciei lineas terminales conſtituit; frontalem vnam, alteram naſalem, tertiam denique maxillarem.

Verum in vniuerſum et in hac hiſtoriae naturalis parte vt in reliquis *naturalem* quam vocant methodum, quae longe plurimos corporis organici characteres ſimul ſumtos complectitur, artificiali qua ſingularem tantum characterem a reliquis abſtractum pro fundamento ſyſtematico ponunt, praeferendam puto: ideoque in ordinandis et deſcribendis variarum gentium craniis neque Daubentonii, neque Camperi, neque Dvreri regulas vnice adhibui ſed vniuerſum eorum habitum indagaui.

Ne tamen vagae ſint et ambiguae *habitus* iſtius *vniuerſi* voces, ex tota cranii compage bina inprimis ſelegi oſſa quibus tanquam fundamentis reliqua capitis forma cuius varietates gentilitias quaerimus, nititur, *frontale* ſc. et *maxillaria*.

Fron-

g) *Phyſiognom. Fragmente* T. IV. pag. 314.

h) fol. Eij[b] editionis principis a. 1528.

Frontalis enim oſſis formam vniuerſae fere caluariae habitus ſequitur, cum plani circularis directio lateralem anguſtiam aut amplitudinem capitis demonſtret; ſupremus vero oſſis margo quo cum ſagittali ſutura concurrit, verticis acumen aut depreſſionem. Vt arcuum ſuperciliarium et glabellae differentias taceam vnice in hocce oſſe poſitas.

A maxillaribus vero oſſibus narium primo amplitudo pendet tum et ipſa naſalium oſſium directio, et pro malarium proceſſuum configuratione oſſium iugalium ipſis appoſitorum maior minorue protuberantia, et (quae magni in hac diſquiſitione momenti eſt) malaris foueae ratio qua iugale os ad anteriora oſſis maxillaris tranſit: denique et limbi alueolaris ſiue anguſtia ſiue amplitudo. Quid quod et inferioris mandibulae forma et habitus, cum alueoli eius et dentes iſtis ſuperioris maxillae reſpondeant, ex huius fabrica aeſtumari poteſt.

Ex vtroque vero oſſe, maxillari nempe et frontali iunctim ſumto orbitarum quoque directio, amplitudo et profunditas pendet.

Hisque ergo oſſibus normalibus tanquam fundamento poſitis facile exin vniuerſi craniorum habitus characteres firmi et ſtabiles quatenus etiam in vicinis oſſibus poſiti ſunt vlterius deduci poterunt: firmi inquam et ſtabiles; quae enim ab iisdem oſſibus remotiora ſunt vt occiput, aduentitiae magis varietati amplitudinis et figurae obnoxia videntur, vtpote quae ſaepe in craniis eiusdem gentis, quod ad reliqua ſibi ſimillimis, multimode ludere videmus.

Iam ergo ad ipſam decadem craniorum accedamus quorum cauſſa hactenus dicta praefati ſumus. Omnia quidem et ſingula peculiari et characteriſtica forma ab inuicem diſtinguuntur: nullum vero magis a reliquis diſcrepat quam et *in aliis animantium domeſticorum ſpeciebus* capita diuerſarum varietatum paſſim ab inuicem differre videmus, apri v. c. cranium ab eo ſuis domeſticae: ita vt et hocce argumento vniuerſi generis humani communis ex vno eodemque

que ſtemmate primitiuo origo pateſcat. Quum vero et in aliis organicorum corporum ſpeciebus quae in numeroſos quaſi naturae luſus degenerando abierunt, vt tuliparum aut caryophyllorum flores, hi ipſi degenerationis luſus in claſſes diuidi ſoleant, idem quoque in generis humani natiua varietate commode fiet: vtpote quam proxime ad naturae veritatem in *quinque* claſſes redigendam puto, quae quidem omnes gradatim et inobſeruabili tranſitu inter ſe confluunt ita vt non niſi arbitrariis limitibus definiri poſſunt, in vniuerſum tamen ex principali corporei habitus differentia qua gentes a gentibus diſtinguuntur, petitae videntur.

Et quidem I[ma] earum Europaei complectuntur cum Aſiatis maxime occidentalibus citra Obin et mare Caſpium nobis obuerſis, vt et Cisgangetanis, cumque Africae borealis incolis. Vno verbo orbis fere veteribus cogniti homines; plus minus candida cute conſpicui et ea faciei forma quam nos Europaei pulchriorem arbitramur.

II[da] Reliqui Aſiatae cum Americae maxime borealis habitatoribus, occidentalibus ſc. Kamtſchatkae vicinis, et orientalibus Grönlandis et Eſquimotis. His omnibus color magis ſubfuſcus, facies planior, palpebrarum apertura anguſtior, capillus tenuior.

III[tia] Reliqui Africani; plus minus nigri, maxillis magis prominulis, naſo obtuſiore, labiis tumidioribus, capillo plerumque criſpo.

IV[ta] Reliqui Americani, cuprei maxime coloris, capitis forma varia plerisque artificiali, capillo rigidiore, recto.


V[ta] Maris pacifici incolae ad Indiae vsque orientalis Inſulanos. Plerumque ex nigro fuſci, faciei partibus (contraria

ac in II[da] varietate ratione) alte prominentibus, naſo latiore, ore amplo, capillamento vberrimo, denſo.

Et eundem quidem ordinem ſequatur decadis huius craniorum recenſio, quae priorum quatuor varietatum ſpecimina memorabilia exhibet; in quibus explicandis ita verſatus ſum vt primo loco fontem indicem vnde quoduis eorum in meam ſupellectilem deuenerit: tum notas principes et characteriſticas cuiusuis eruam; quibus reliqua in eodem obſeruata ſubiungo; memorabilia quidem, verum de quibus nondum mihi conſtat an gentilitia ſint, anue accidentalia et indiuiduo quod deſcribo propria. Vltimo demum loco icones ad naturam factas hominum ad quos cranium pertinet, et auctorum de capitis eorum forma relationes cum ipſa natura confero.

* * *

VARIETATIS



II. Mumiae Aegyptiacae.

J. Zim̃er del. Rienack f.

VARIETATIS PRIMAE SPECIMINA QVATERNA.

I. *MVMIAE AEGYPTIACAE.*
(— Tab. I. —)

Agmen ducat cranium hominis tum aeui quo vixit antiquitate, tum gentis ad quam vt veriſimillimum eſt, pertinuit, dignitate et celebritate memorabile; veteris nempe Aegyptii medicatum caput. Emi cum aliis Aegyptiacis rebus naturalibus a Friderico mercatore Dantiſcano cum ex Aegyptiaco itinere redux a. 1779 exeunte vrbem noſtram appuleret.

Characteres primarii: caput auguſtum ad latera compreſſum, maxime verſus verticem. Frons parua et eleganter fornicata; reliqua contra facies a glabella ad menti apicem vsque elongata. Arcus ſuperciliares arcuatae, valde prominentes, maxime vbi foramina ſupraorbitalia ipſis vtrimque ſubiecta ſunt. Orbitae amplae, approximatae i. e. anguſto ſaltem oſſe ethmoide abinuicem ſeiunctae. Malaris foſſa pone foramen infraorbitale profunde depreſſa. Inferior mandibula magna, robuſta. Dentes vaegrandes, et inciſorum quoque coronae craſſae, cylindricae magis aut obtuſe conicae *i*) quam ſcalpriformes.

Alia obſeruata: occiput retrorſum valde protuberans. Suturae ſagittalis tractus extrorſum ſulcatus. In vniuerſum ſuturae adhuc integrae nondum deletae. Veſtigia inſertionis muſculorum profundiora. Planum ſemicirculare vtrinque praemagnum. Radices dentium, praeſertim caninorum ſuperiorum longiſſimae. Angulus exterior mandibulae inferioris in dextro latere 105 graduum, in ſiniſtro contra = 118.

In vniuerſum huius cranii habitus eundem characterem prae ſe ferre videtur quem et ingentia Aegyptiacae artis veteris opera ſpirant, non quidem elegantem et pulchellum aſt magnum.

 Vix

i) Cf. *Götting. Magazin* 1780. P. I. pag. 109 ſq.

Vix quidem monitu opus eſt in tanta ſeculorum ſerie qua mos cadauera balſamo condiendi in Aegypto ſolemnis fuit, inque tam variorum eius terrae dominorum et incolarum viciſſitudine magnam mumias intercedere debere varietatem tam quodad conditurae variam rationem et materiem; quam quodad craniorum in mumiis gentilitiam formam et ſpeciem. Idemque praeſertim de ſingulari dentium inciſorum habitu valet; quem quidem nemo ſanus in omnibus mumiarum craniis perfecte eundem ſupponet, quem tamen cum ab altera parte in non vna mumia plane idem obſeruatus fuerit (vt in Caſſelana *k*), Cantabrigienſi *l*) etc.) memorabilis ſane videtur et fortaſſis olim vtiliter adhibendus tanquam character diſtinctiuus quo vnius aeui et gentis mumias a reliquis dignoſcere licebit.

Vniuerſus vero cranii de quo agimus habitus ad amuſſim reſpondet Oſiridis idolo ex argilla cocto, ſed affabre facto quod in muſeo academico ſeruatur, ex eorum genere quae paſſim in ipſis mumiis reperiri ſolent. Vtriusque vero, cranii ſcil. et idoli forma, toto quod aiunt coelo abhorret a Sinenſium notiſſima phyſiognomia cui Aegyptiacam ex GOGUETI vt puto et DE GUIGNES hypotheſi ſimillimam dicere auſus eſt egregius ceteroquin vir IO. WINKELMANN *m*).

Ita etiam ea quae celeber peregrinator THOM. SHAW de mumiarum craniis perhibet *n*) quod nempe aliquantum craſſiora ſint ac noſtratia magis ex HERODOTI notiſſima relatione praeiudicata, quam ex ipſius naturae obſeruatione hauſta videntur. Mihi ſane varias mumiarum caluarias earumque fragmenta comparanti, oſſa haecce variae quidem ſed non adeo inſignis craſſitiei viſa ſunt. In cranio quod deſcripſi idem explorare, bituminis copia vetat quo encephali cauitas adhuc ſcatet.

* * *


II.

k) Cf. cl. BRÜCKMANNI archiatri Brunſuicenſ. relationem de ea mumia. Brunſv. 1782. 4.

l) v. MIDDLETON's *miſcellaneous works*. Lond. 1752. 4. T. IV. p. 170 ſq.

m) *Geſchichte der Kunſt des Alterthums* pag. 56.

n) *Travels* pag. 377. ed. Lond. 1757. 4.



III. *Turcae.*

II. *TVRCAE.*

(— Tab. II. —)

Donum Perill. L. Bar. DE ASCH qui binis craniis Turcarum in nupera miranda expugnatione *Oczacouenſi* m. Decembri a. 1788 occiſorum collectionem meam ditauit.

Characteres primarii: caluaria fere globoſa; occipitio ſcil. vix vllo, cum foramen magnum pene ad extremum baſeos cranii poſitum ſit. Frons latior. Glabella prominens. Foſſae malares leuiter depreſſae. In vniuerſum faciei ſymmetrica et elegans proportio.

Alia obſeruata: Protuberantia occipitalis externa vix vlla. Condyli occipitales ingentes, valde arcuati. Sutura coronalis vtrimque verſus tempora ſubtiliſſimis maeandris anfracta. Narium apertura anguſtior inferius hemicycli in modum rotundata. Maxillae ſuperioris pars alueolaris breuiſſima, ita vt quae naribus ſubiecta eſt, vix digiti minimi latitudinem altitudine aequet.

Perfecte inuicem conueniunt, quod primarios quos dixi characteres attinet, vtraque iſta crania quae ex Generoſ. DE ASCH munificentia mihi ad manus ſunt. Vtrique etiam quod fere orbicularem globoſi capitis verticalem ſuperficiem ſpectat, ad amuſſim reſpondet pars caluariae Turcici militum praefecti in obſidione vrbis *Neuhaeuſel* a. 1685 occiſi, quae ex celebri muſeo Harreriano Ratisponenſi in meum tranſiit.

Porro cum iisdem congruunt imagines Turcarum quas contuli ad viuum factae a peritiſſimis artificibus WENCESLAO HOLLAR et DAN. CHODOWIECKI v. cl.

Denique vero et globoſam cranii in Turcis formam vno ore teſtantur auctores: ſufficiat ex his excitaſſe VESALII locum *de c. h. fabr.* pag. 23. ed. 1555.

„ —*ple-*


„— *pleraſque nationes peculiare quid in capitis forma ſibi vin-*
„dicare conſtat. Genuenſium namque, et magis adhuc Graeco-
„rum et Turcarum capita globi fere imaginem
„exprimunt, *ad hanc quoque (quam illorum non pauci ele-*
„gantem, et capitis quibus varie vtuntur tegumentis accommodum
„cenſent) obſtetricibus nonnunquam magna matrum ſolicitudine
„opem ferentibus.„

quibus egregie reſpondent quae pridem me docuit Perill. B. DE ASCH litteris humaniſſimis d. 20. Iul. 1788 datis, adeoque diu ante quam ipſa quae dixi crania nactus eſſet. Scribit ſcilicet „quae-„rere vulgo obſtetrices Conſtantinopoli poſt partum e matre qualem „neonato ſuo capitis formam optet? et ab Aſiatis quidem eam prae-„ferri, quae faſcia transuerſa frontem et occiput arcte cingente effi-„citur, quia rubra capitis tegumenta quibus vti ſolent tunc melius „inſidere putant.„

Mirandum ergo potuiſſe quem iam excitaui WINKELMANNVM egregiam quam praedicat capitis Turcarum formam felici coelo et climatis clementiae tribuere *o*), qui tamen ipſe vulgatiſſimum quem modo diximus VESALII locum, obſtetricum artificio eandem aperte vindicantem, citet.

o) l. c. pag. 24.

* * *



IIII. *Aſiatae macrocephali.*

III. *ASIATAE MACROCEPHALI.*

(— Tab. III. —)

Miſit Aschius generoſiſſ. et *probabiliter* Tattarici hominis eſſe ſcripſit. Singulari plane et inſolita forma conſpicuum eſt, in vniuerſum tamen ſumma ſymmetria inſigne adeo vt morboſi quid aut monſtroſam aliquam contra naturam fabricam ſubeſſe, non eſt quod ſuſpicari liceat. Cum vero de propiore eius origine nihil certi adhuc conſtiterit praeter deſignationem eorum quae ipſi peculiaria ſunt, quae vltro addam non habeo.

Vertex inprimis valde elatus, compreſſus, carinatus. Sutura ſagittalis ab vtraque pagina prorſus deleta, coronali e contrario et lambdoidea perfecte ſuperſtitibus. Neque enim ſenio euanuiſſe iſtam ſagittalem, praeter hancce reliquarum integritatem, vniuerſus quoque cranii habitus demonſtrat, dentium v. c. malarium coronae apicibus perfectis et integerrimis, nihilum detritis; poſtremis quos ſapientiae dentes vocant vix progerminatis etc. Occipitium decliue, elongatum. In interna verticis facie eo loco vbi alias ſutura ſagittalis decurrit, foſſa cui ſinus venoſus longitudinalis adiacet profunde inſculpta eſt.

* * *

IV. *CASACCI DONENSIS.*

(— Tab. IV. —)

Eidem Perill. B. de Asch ſummae liberalitati (cui in vniuerſum iam viginti duo crania, maximam partem Ruſſici imperii nationum, debeo;) integrum quoque ſceleton Caſacci Donenſis acceptum refero, cuius cranium praeſens icon exhibet.

Habitus in totum horridus. Orbitae maxime profundae et latae, ſed valde depreſſae. Narium apertura late patula. Arcus ſuperciliares inuicem abſque glabellae intercapedine fere contiguae et protuberantes. Limbus plani ſemicircularis vbi a proceſſu orbitali externo oſſis frontis ſurſum vergit, in acutum quaſi iugum abiens; anguli alarum maxillae inferioris fere monſtroſe extrorſum tractae, et maſſeterum inſertione valde inaequales et quaſi hiſpidi. Foramen occipitale anguſtius. Craſſities oſſis occipitalis prope protuberantias enormis. Sed et textura oſſium caluariae tam denſa, vt hinc illinc caſu detritae marmoris duriſſimi aut iaſpidis politi in modum niteant. Hinc et pondus vniuerſi cranii ingens.

Verum et reliqui ſceleti partes capitis horridae conformationi reſpondent. Cylindrica v. c. oſſa praeter modum craſſa et ponderoſa. Pectoris os quatuor fere digitos transuerſos laditudine aequans, et quae ſunt huius generis alia, rude robur teſtantia.

Faciei quem diximus habitus, iam ad alterius generis humani varietatis formam accedere videtur: cui reſpondent quae apud claſſicos itineratores relata legimus eſſe vtique inter Coſaccos qui vultu et phyſiognomia proxime a Calmuccis abſint *p*).


p) Cf. v. c. Sam. G. Gmelini *Reiſe durch Rußland* T. I. pag. 174.

* * *

VARIETATIS



IV. Caſacci Donenſis.



V. *Calmucci.*

VARIETATIS SECVNDAE SPECIMEN.

V. *CALMVCCI.*

(— Tab. V. —)

Itidem donum Aschii generoſiſſimi.

Characteres primarii: Facies complanata, vertex depreſſus, eiusque oſſa vtrinque protuberantia. Naſi oſſa minutiſſima, ad perpendiculum fere declinata. Arcus ſuperciliares vix vlli; et naſi radix tam parum depreſſa vt frontis arcus per planam glabellam ad naſi iugum vix ſenſili flexura tranſeat. Narium apertura perexigua. Malaris fouea planiſſima.

Alia obſeruata: Foramen occipitale anguſtum. Condyli eidem aſſidentes plani. Proceſſus maſtoidei perexigui.

Conuenit maximam partem cum noſtro ſpecimine curata deſcriptio alius cranii Calmuccici, quam in diſſertatione eleganti exhibuit Jo. Benj. de Fischer *q*), vtpote qua inter alia caluaria eidem complanata tribuitur et in latera inſigniter extuberans, facies introrſum valde acta, et verſus ſuperiora in ſuperficiem latam diſtracta &c. In aliis vero, naſi v. c. oſſium directione magis ad primae varietatis conformationem accedere iſtud cranium, quod cum deſcriptione tum icone exhibuit Fischerus, nemini mirum videbitur vel eum conſideranti quem ſupra iam innuimus varietatum generis humani inter ſe inuicem tranſitum et confluxum.

q) v. Ei. *Diſſ. de modo quo oſſa ſe vicinis accommodant partibus.* L. B. 1743. 4.


Perfecte e contrario reſpondent cranio quod nos exhibemus binae quae mihi ad manus ſunt imagines ad viuum factae iuuenis Calmucci, qui ante tria circ. luſtra a Darmſtadienſi comitatu Petropoli reduce arceſſitus, Carolsruhae a perito artifice depictus eſt.

Nec minus denique in idem cranium quadrant ea, quae itineratores autoptae et egregie obſeruantes de characteriſtico et fallere neſcio Calmuccorum vultu gentilitio vno ore teſtantur *r*).


r) Cf. v. c. Schoberi *memorabilia Ruſſico-Aſiatica* in cl. Mülleri *Samml. Ruſſiſcher Geſchichte* T. VII. pag. 52. Cl. Pallas *mongoliſche Völkerſch.* T. I. pag. 98 ſqq. de Peyssonel *ſur le commerce de la mer noire.* Paris 1787. T. I. pag. 179. etc.

* * *


VARIETATIS




VI. Aethiopis 1mi.



VII. Aethiopis 2di.





VIII. Aethiopis 3tii.

VARIETATIS TERTIAE SPECIMINA TRIA.

VI. VII. VIII. *AETHIOPVM.*

(— Tab. VI. VII. VIII. —)

Debeo egregiam hanc craniorum trigam amicitiae coniunctiſſimi Michaelis, Prof. med. in acad. Marburgenſi et Haſſiae Landgrauio ab aulae conſiliis, qui in vniuerſum quoque multifariis aethiopicorum funerum ſpoliis ſuppellectilem meam anatomicam ditavit. Medium ordine (— tab. VII. —) ex America boreali redux Noueboraci mihi attulit; poſtea vero Caſſellis bina integra capita aethiopum pridie defunctorum mihi transmiſit, quae primo anatomico cultello ſubieci, tumque crania denudata ſtudioſe praeparaui.

Maximi ſane pretii ſeriem conſtituunt terna haecce crania, ob inſignem quae omnes tres intercedit diuerſitatem, luculentiſſimo documento non adeo propriam et characteriſticam Aethiopibus eſſe ſpeciem, quin aeque inſigniter inter ſe ipſos differrent ac vulgo ab aliis protoplaſtorum nepotibus differre cenſentur!

Mandibula v. c. magis prominens in ſecundo (— Tab. VII. —); longe minus in tertio (— Tab. VIII. —).

Narium apertura ampliſſima iſti tertio; longe anguſtior reliquis.

Contra limbi narium externi inferius ſegmentum in ſecundo acutum marginem prae ſe fert, rotundatum e contrario in primo et tertio.

Naſi radix intropreſſa et ſulco transuerſo alte inciſa in primo; minus in ſecundo; omnium minime in tertio.

Dorſum naſi vbi ſutura longitudinali dirimitur, acutum in ſecundo; minus primo; eleganter contra fornicatum in tertio.

Oſſis palatini lamina horizontalis in neutro quidem adeo ampla qualem in tribus Ruſſorum craniis coram video, proportione tamen reliquorum latiſſima in tertio; minus in primo; in tertio denique adeo anguſta, vt vix arctiorem in Europaeo vnquam vidiſſe meminerim.

Limbus alueolaris longe anguſtior ſecundo quam reliquis duobus.

Vtraque fiſſura orbitalis ampliſſima in tertio, peranguſta in ſecundo.

In vniuerſum orbitarum habitus in ſingulo ab eo reliquorum duorum paulisper diuerſus: in neutro tamen alia varietate ludens quam et in Europaeorum craniis coram video.

Poſtica caluariae pars prope protuberantiam occipitalem acute prominens in ſecundo, eleganter vero rotundata et fere globoſa in tertio.

Quibus praeter alia denique et ea accedit differentia, vt ſecundum craſſitie et pondere ſingulari reliquos duos mirum quantum ſuperet.

Confirmantur hisce ea, quae alias iam, occaſione inſignis picturae a ſummo artifice Antonio van Dyk profectae et quatuor Aethiopum effigies exhibente, monui *s*), ſi monitu adhuc opus erat, et tum auctorum teſtimoniis *t*), tum ipſa autopſia poſtquam

s) In coniunctiſſimi Voigtii *Magazin für Phyſik und Naturgeſchichte.* T. IV. P. III. pag. 1 ſqq.

t) Vnum ex his in medium protuliſſe ſufficiat cl. Adanson in *hiſt. nat. du Senegal* pag. 22. — *„Les femmes ſont à peu près de la taille des „hommes,*

quam numeroſos aethiopicos homines ex vtroque ſexu curate contemplari licuit, euici, eſſe nempe inter Aethiopes maxime genuinos ab altera quidem parte paſſim multum diuerſos ab Europaeorum phyſiognomia, ab altera vero etiam alios tam eximiae et elegantis formae, vt ſi colorem demſeris, vix vlla ratione a noſtratium vultu differre dicendi ſint.

Et eandem quoque aethiopici vultus varietatem et cum reliquorum hominum forma confluxum quaſi et tranſitum teſtantur multum ab inuicem diuerſae imagines quotquot extant Aethiopum a peritis artificibus ad viuum factae et aeri inciſae; tum et differentia, quae icones craniorum aethiopum paſſim iam publici iuris factas intercedit; et ea quoque potiſſimum, quae inſignis anatomicus, amiciſſimus Soemmerring, Prof. Moguntinus et Electori ab aulae conſiliis, de ſimilibus diſcrepantiis, quae ipſe in huius gentis caluariis obſeruauerat, curatiſſime annotauit *u*).

„hommes, également bien faites. Leur peau eſt d'une fineſſe et d'une dou-„ceur extrême. Elles ont les yeux noirs, bien fendus; la bouche et les „lèvres petites et les traits du viſage bien proportionnés. Il s'en trouve „pluſieurs d'une beauté parfaite. Elles ont beaucoup de vivacité, et ſur-„tout un air aiſé de liberté qui fait plaiſir.

(*u*) *Ueber die körperl. Verſchiedenh. des Negers vom Europäer,* pag. 14 ſqq.

* * *

VARIETATIS

VARIETATIS QVARTAE SPECIMINA BINA.

IX. *INDI AMERICAE SEPTENTRIONALIS.*

(— Tab. IX. —)

Itidem donum amantiſſimi Michaelis, qui egregium hocce cranium Philadelphiae a celebri in nouo orbe anatomico D. Chovet acceperat, aſſerente ipſi, fuiſſe ducis Indi iſtarum regionum, qui ante 30 circ. et quod excurrit annos ob caedem commiſſam ibidem capite plexus fuerit.


Characteres primarii: Vertex depreſſus, amplus, verſus latera ſupra tempora protuberans, planis ſemicircularibus vtrinque inde ab orbitali proceſſu oſſis frontis ſurſum diuergentibus. Iugalia oſſa prominula. Olfactus officina ampliſſima, ita vt et conchae mediae in bullas quaſi excauatae ſint et ſinus Santorini inſignis capacitatis contineant.

Alia obſeruata: Dentes inciſores breuiſſimi, ſed acutiſſimi, ſcalpriformes. Sutura frontalis ſuperſtes. Caluariae oſſa valde tenuia; et totum cranium leuiſſimum.

Etſi pro certo mihi non conſtet, ad quamnam Americae borealis gentem cranium hocce proxime pertineat, in vniuerſum tamen perfecte conuenit cum octonis imaginibus Indorum Cherokeſarum ad viuum a magni nominis artificibus delineatis *x*), quas cum cranio illo

x) Septem viz. gentis ſuae principes a. 1730. Londini degentes ex Markhami pictura aeri incidit Io. Basire.

Celebrem



IX. Indiæ Americae ſeptentrionalis.

illo ſtudioſe contuli: vtpote quae omnes malas protuberantes et ad vnum fere omnes verticem depreſſum monſtrant.

Poſteriorem huncce characterem artificio deberi probabile videtur, vtpote quo plures iſtius noui orbis plagae incolas infantum tenellorum capita deprimere et in dilectam ſibi formam cogere poſt tot alios curatiſſime docuit cl. ADAIR *y*).

Ampliſſimae vero olfactus officinae egregie reſpondent, quae apud auctores peritos et fide digniſſimos de ſumma iſtorum barbarorum odorandi acie relata legimus *z*).

Celebrem vero ſex nationum vt vocantur ducem, IOSEPHVM TAYADANEEGA ad magni artificis G. ROMNEY picturam, nigro quod dicunt opere expreſſit a. 1779. egregius chalcographus I. R. SMITH.

Neque ab his multum differt Virginici hominis 23 annorum elegans icon a claro artifice WENCESLAO HOLLAR a. 1645. ad viuum delineata et aqua forti inciſa.

y) *Hiſtory of the American Indians* pag. 8 ſq. — „*The Indians flatten their* „*heads in divers forms: but it is chiefly the crown of the head they depreſs*, „*in order to beautify themſelves*, *as their wild fancy terms it*: *for they* „*call us* long heads, *by way of contempt*„ etc. —

z) Cf. poſt REN. DE LAUDONIERE, P. CHARLEVOIX aliosque PHIL. G. FR. VON RECK *Reiſe nach Georgien* in VRLSPERGERI *Nachr. von der Salzburgiſchen Colonie in America* T. I. pag. 862.

* * *

X. *CARIBAEI EX INSVLA Sæi VINCENTII.*

(— Tab. X. —)

Ditauit collectionem meam hocce cimelio Perill. Baronetus Josephus Banks: cimelium enim vocare non dubitabunt, qui norunt, vniuerſam eam Caribaeorum ſtirpem quondam adeo celebratiſſimam hodie Aethiopum maxime liberorum hoſtili ſaeuitia fere totam exſtirpatam et ad vnam tantum alteramue familiam adhuc ſuperſtitem redactam eſſe, quae vnice in inſula *Sæi Vincentii* in remoto angulo ſolitariam vitam degit.

Caput eſt ducis eorum ante triennium circ. defuncti, cuius oſſa, rogatu Banksii generoſiſſimi effodi curauit cl. Anderson horti regii in iſta inſula praefectus.

Characteres primarii: Frons retropreſſa et orbitae mirum in modum hiantes, patulae, ſurſumque quaſi ſpectantes; eo fere modo vti in hydrocephalis ſpectantur; lamina ſcil. orbitali oſſis frontis valde decliui, margine ſuperciliari obtuſiſſimo &c. Praeter alia quae exin fluunt ſingularia ingens quoque notanda venit diſtantia, quae ſupremum marginem oſſis vnguis et ſulcum ſupraorbitalem pro neruo frontali intercedit.

Alia obſeruata: verticis oſſa vtrinque valde protuberantia. Naſi oſſa praelonga. Denique ſingularis plane habitus coronae dentium inciſorum externorum ſuperioris maxillae; vtpote quae non ſcalpriformis vt vulgo ſolet, neque obtuſe conica, qualem in mumiae capitis deſcriptione diximus, ſed talis ſit, vt cylindrum oſſeum a poſtica parte oblique truncatum et ſulco longitudinali inſcriptum, exhibeat.

Exactiſſi-



X. *Caribaei ex inſ. Sti Vincentii.*

Exactiſſime reſpondent rariſſimi huius cranii conformationi, quae de ſingulari Caribaeorum ſtudio, neonatorum capita variis artificiis peculiarem in modum formandi, teſtes autoptae locupletiſſimi vno ore teſtantur. Mirari adeo ſatis nequeo ſcepticam quorundam neotericorum diffidentiam, qui totum hocce infantum capita fingendi artificium tanquam impoſſibile in dubium vocare auſi ſunt *a*). Vix enim quisquam circa rei *poſſibilitatem*, vt hac voce vtar, haeſitabit, qui conſideret oſſibus quidem (vt Albini verba mea faciam,) naturam firmam eſſe, duram, rigidam: eademque vero nihilominus plerisque corporis noſtri partibus mollibus longe magis mutabiles eſſe, vtpote quibus non ſolum fortuitae ex fracturis iacturae miranda reproductionis vi facile reparentur (quod in vulneribus partium carnoſarum cum ſubſtantia deperdita ob cauſſam alias a me indagatam *b*), ſucceſſu caret); verum et ſecundum naturae ordinem *elementa* eorum perpetuo renouentur et cum aliis nouiter appoſitis commutentur. Perpetuam enim nouarum particularum ex purpureo ſanguinis fluento oſſibus adlato appoſitionem poſt tot alia argumenta tritiſſimis hodie de rubiae tinctorum in oſſa animalium effectu ſpecifico experimentis, euictum eſt. Abſorbtionis contra ſubſtantiae oſſeae vnum inſtar omnium afferre liceat vulgatum phaenomenon, alueolos ſcil. mandibularum poſt dentium caſum deletos. Ex ipſa autem hacce haud inficianda ſubſtantiae oſſeae perpetua commutatione facile iam ſi quid video, intelligitur, quomodo etiam figura et conformatio oſſium infantilium ſenſim mutari et in varias ſpecies cogi poſſit, quando nempe diutinus et per annos continuatus conſtans et violentior preſſus in ea agit; quod ſane eo minus mirandum, cum et in adultis paſſim phalanges digitorum extremorum pedis calceorum arctorum diutina conſtrictione deformes reddi, imo per ancyloſin concreſcere, videamus.

D 2 Quid

a) v. c. clar. Sabatier in *Tr. complet d'anatomie* T. I. pag. 25. ed. Pariſ. 1781. deſideratiſſ. Camper in *klein. Schriften* l. c. pag. 17 et nuperrime adhuc D. Arthavd in *Iournal de phyſique* m. Apr. 1789.

b) *Inſtitution. phyſiol.* §. 460.

Quid quod et longe minus violenta actio fluidi cuiusdam, puris v. c. oſſium cauernis incluſi ſenſim pedetentimque eas expandere et formam earum immutare poteſt, cuius rei documentum dum haec ſcribo coram video in muſtelae vulgaris ſceleto, cui ſinus frontalis dexter pure in eum congeſto et vermiculis lumbricoideis in eodem nidulantibus in amplam bullam dilatatus eſt. Similem caſum in homine obſeruauit collega coniunctiſſimus cl. Richter c). Idemque fere effectus eſt aquarum cerebri ventriculis in hydrocephalo incluſarum vtpote quae eadem ratione frontalis oſſis laminas orbitales deprimere et antrorſum protrudere ſolent, qua in Caribaeo noſtro easdem externo frontis preſſu protruſas conſpicimus.

Verum et iam muſculorum actionem adultis et obfirmatis oſſibus nouam et a priſtina alienam formam impertire poſſe, ſenum diu edentulorum maxilla inferior docet, vtpote cuius anguli laterales, mutata totius oſſis et maxime menti directione et ad ſuperiorem mandibulam relatione, mirum quantum ſenſim a naturali habitu deflectunt, longe obtuſiores fiunt &c. Imo vero et ſimilem effectum non ſemel in craniis obſeruaui, quibus in alterutro tantum latere malares dentes lapſi et alueoli obſoleti erant, quam quippe iacturam itidem angulorum maxillae inferioris inaequalitas ſecuta erat; quale quid ſupra ad mumiae cranium annotaui. Nec diſpar ratio eſt egregii ſpeciminis pathologici, quod vt tot alia munificentiae perill. L. B. ab Asch debeo, quodque itidem obſequioſam oſſium indolem, qua violentae et diuturnae conſtrictioni ſeſe accommodant, ad oculum demonſtrat. Cranium eſt virilis aetatis hominis, cui ex perenni ſpaſmo muſculorum faciei ſiniſtri lateris ea ipſa oſſa, quibus adfiguntur, adeo contracta ſunt, vt cum dextro faciei oſſeae dimidio collata, monſtroſam fere diſcrepantiam monſtrent, idemque cranium ab alterutra laterali facie ſpectatum diuerſae plane aetatis et magnitudinis ſpecies prae ſe ferre videatur. Spaſmo autem miram eam ſiniſtri lateris contractionem tribuendam eſſe, praeter alia primo ſtatim intuitu iugalis oſſis ſiniſtri a dextro differentia docet, vtpote

c) *Nov. commentar. ſoc. reg.* T. III. ad a. 1772. pag. 86 ſq. 89.

vtpote quod eadem ratione deorſum tractum cernitur, qua maxillae inferioris ala ſiniſtra ſurſum acta eſt.

Artificiali ergo cranii infantilis formationi phyſiologiam et oſteogeniam tantum non repugnare, vt potius ad amuſſim eidem reſpondeant, luculentiſſime patet.

Iam ergo ad Caribaei cranium reuertamur, quod ipſi huic excurſioni anſam praebuit, quodque haud inficianda eiusmodi artificii veſtigia et effectus prae ſe fert.

Non vnus idemque modus eſt, quo Caribaeos iſtam infantium ſuorum capitis formationem perficere, itineratores referunt. Alii fronti alligato aſſerculo id perfici teſtantur *d*), alii premendo caput inter binos eiusmodi paruos aſſeres *e*), alii denique nuda encheireſi, manu ſcil. frontem diu et frequentiſſime comprimente *f*).

 Facile

d) Cf. v. c. Labat l. c. T. II. p. 72. — „*Les Caraïbes ſont tous bien faits „et bien proportionnez, les traits du viſage aſſez agreables. il n'y a que „le front qui paroît un peu extraordinaire, parcequ'il eſt fort plat et comme „enfoncé. Ils ne naiſſent point comme cela, mais ils forcent la tête de „l'enfant à prendre cette figure, en mettant ſur le front de l'enfant nouveau „né une petite planche liée fortement derriere la tête, qu'ils y laiſſent „jusqu' à ce que le front ait pris ſa conſiſtence, et qu'il demeure applati, „de maniere que ſans hauſſer la tête ils voyent presque perpendiculairement „au deſſus d'eux.*„ —

e) Thibault de Chanvalon l. c.

f) Ex nube teſtium Rochefort, du Tertre, de la Borde etc. verba citare liceat auctoris egregii ſed parum cogniti Raymundi inquam Britanni qui in *dictionario Caribaeo* pag. 145 ſequentibus: — „*Tous les ſauvages hommes et femmes ont une meſme coëffeure, et affin „qu'elle ſoit accomplie à leur mode, bien toſt apres que l'enfant eſt né, la „femme, qui eſt choiſie pour cela, peſtriſſant de nouveau ſa teſte, l'élargit „par le haut et l'unit comme en penchant par le bas jusques aux yeux, „applatiſſant le front à l'egal du reſte. (et en cela ils veullent faire conſi„ſter leur beautés.)*„ — et paulo poſt ita pergit: — „*La mere prés de deux „ans de temps pendant le jour, poſe les jambes de l'enfant ſur une de „ſes cuiſſes (eſtant aſſiſe) et la teſte ſur l'autre, l'enfant eſtant endormi, „elle ouvre ſa main droite, la poſe ſur le devant de la teſte de l'enfant, „appuye ſon coude gauche deſſus, pauche ſa teſte ſur ſa main, et dort „ainſi avec l'enfant, affin de faire ſubſiſter la forme qu'on luy a donné. „Cela fait qu'ils ont de gros yeux, qui leur ſortent hors de la teſte. Je „ne me ſuis pas apperçeu que cela les rendit ordinairement camus.*„ —

Facile ergo patet in tanta methodi varietate, et arbitraria illius praeſertim applicatione quae nuda manu perficitur, effectum quoque non perinde eundem expectari poſſe. Ita v. c. quod meam collectionem ornat ex iſta gente cranium, etſi primo intuitu characteriſtico proprio habitu agnoſcendum, non tamen adeo monſtroſam frontalis oſſis impreſſionem prae ſe fert, qualis in caluaria Caribaei, quam Hunaldus quondam deſcripſit *g*), conſpicitur: quam vero anomalam et a ſueta Caribaeorum capitis forma abhorrentem, et non niſi a violentiore exceſſu artificioſae iſtius manupreſſionis natam eſſe, facile patet, ſi ea contuleris, quae de Caribaeorum habitu idonei teſtes referunt, quorum neuter tam horridum et deformem eum deſcribit, omnes vero talem perhibent, qualem noſtrum ſpecimen prae ſe fert, cui et ea Caribaei caluaria reſpondet, cuius icon nuper ex cimeliis muſei philadelphorum inſulae Domingo depromta publici iuris facta eſt *h*).

Similem inaequalem effectum tam arbitrariae capita neophytorum ligando aut comprimendo efformandi methodi alterum quoque demonſtrat cranium Turcae in nupera obſidione Oczacovenſi occiſi, quod iunctim cum priore quod ſupra exhibuimus miſerat generoſiſſimus Aschius: quodque etſi in vniuerſum charactere quem diximus primario, occipitio ſcil. vix vltra foramen magnum retrorſum prominente ſed ſurſum aſcendente, perfecte cum priore conueniat, nutricis tamen, vt veriſimillimum videtur, negligentia tam inique ligatum fuit tenello, vt iam mirum in modum oblique preſſum appareat, et a vertice ſpectatum peripheria eius fere ad rhombi ſpeciem accedat, frontis ſcil. dimidio dextro, et bregmate contra ſiniſtro prominentibus, dextro vero verticis oſſe cum ſiniſtra frontis parte luculentiſſime intro preſſis.

g) *Mémoires de l'acad. des ſc. de Paris* a. 1740. pag. 371 ſq. tab. XVI. fig. 1. Aut grauiter fallor aut ipſiſſimum hocce eſt cranium quod iam in muſeo cl. Cline Londini ſeruatur, vbi denuo delineauit et iconem aeri inciſam perilluſtri Bankſio dedicauit a. 1785 Campervs.

h) *Iournal de phyſique* l. c. tab. I.

JO. FRID. BLUMENBACHII

PROF. MEDIC. ORDIN. M. BRITANN. R. A CONSIL. AVL.
SOCIET. R. SCIENT. GOTTING. ALIARVMQVE MEMBRI

DECAS
ALTERA COLLECTIONIS SVAE
CRANIORVM
DIVERSARVM GENTIVM ILLVSTRATA.

GOTTINGAE
APVD JOANN. CHRIST. DIETERICH.
MDCCXCIII.



XI. *Cingari genuini.*

Cum praeter ea quae in fronte ſuperioris commentationis praemonui de inſtituti ratione vltro exponenda non ſint quae habeam, ad ipſam ſtatim nouae decadis craniorum enarrationem me accingo e ſupellectile mea ita delectae vt et hic aeque ac in priore illa, diverſitatis tum formae craniorum tum gentium maxime ab inuicem diſſitarum rationem haberem; eundem et hic ordinem ſeruaturus generis humani varietatum cuius expoſitionem itidem priori decadi praemiſi.

* * *

VARIETATIS PRIMAE SPECIMINA TERNA.

XI. *CINGARI GENVINI.*

(— Tab. XI. —)

Memorabile ſpecimen quod inter rariora collectionis meae refero. Quamquam enim Cingarorum natio a quaternis fere inde ſeculis numeroſis cohortibus vniuerſam fere peruagetur Europam, in erratico tamen et ſylueſtri quod agunt vitae genere quo ipſos modo plagio infantes rapuiſſe conſtat, modo etiam alii vagabundi errones caſtra eorum ſequuntur, progeniem eorum e diuerſimode mixtis

 paren-

parentibus ortam paſſim a natiuo corporis habitu deflexiſſe mirum non eſt. Vnicam tantum Europae regionem nouimus in qua primigenia Cingarorum ſtirps impermiſta degit, Transſyluaniam ſcilicet, et maxime quidem Coloſienſem cum vicinis comitatibus. Rara ergo eſt opportunitas genuinum eiusmodi hominis cranium acquirendi; et ipſe per bina circiter luſtra fruſtra in id incubui, donec demum curante cl. Pataki Med. Dre. Claudinopolitano eo potirer cuius curatam iconem tab. XI. exhibet.


Caput eſt oſſeum famoſi latronis ex eorum quidem Cingarorum numero quos *incolas* vocant vt a nomadibus vagis diſtinguant, qui vero aeſtiuo tempore in ſyluis quas viae publicae tranſeunt viatoribus inſidiari, tum et rapinae cauſa nundinas frequentare ſolebat, donec a. 1791. captus Claudinopoli in carceribus diem ſuum obiret.


Genuinum iſtius nationis characterem gentilitium tam luculenter prae ſe fert hocce cranium vt ſaepius iam Transſyluani qui collectionem meam curatius inſpexerunt, primo ſtatim intuitu illud ad Cingarum genuinum pertinere, declararent.

Characteres primarii: Facies oblonga. Frons parua, fornicata. Arcus ſuperciliares pone glabellam valde prominentes. Orbitae admodum profundae. Olfactus officina ampliſſima, conchis mediis vtrinque in bullas inſignes inflatis et ſinibus Santorinianis excauatis. Dentes grandes, molares inprimis ingentes. Mandibulae aliquantum prominulae.

Alia obſeruata: Suturae, maxime occipitales eleganter flexuoſae. Foramen occipitale fere quadratum. Condyli ad latera eius valde conuexi. Palatum alte fornicatum; oſſis palatini lamina horizontalis perampla.

Singularis plane eſt ſimilitudo quae vniuerſum habitum huius cranii et capitis oſſei mumiae Aegyptiacae intercedit quod Decadis I. tab. I. exhibui: quae certe tanta eſt vt et me primo intuitu commouerit et ab omnibus aliis qui collectionem meam craniorum curatius inſpexe-





XII. *Tatari casanensis.*

inſpexerunt, illico agnita ſit; cum inter 64 crania peregrinorum extra Germaniam populorum quae iam poſſideo nullum extet a quo Cingaricum hocce propius abſit ſi formam eius in vniuerſum ſpectes, quam ipſum iſtud quod dixi medicatum veteris Aegyptii.

Et quamquam non is ego ſim qui ex ſingulo eiusmodi ſpecimine de gentium origine coniectari audeat; memorabilis tamen ea ſimilitudo vtique videtur et aliorum virorum quibus plures Cingaros genuinos videndi occaſio datur, attentione digna. Notum enim eſt plures viros doctos a binis fere inde retro ſeculis, et nuper maxime cl. Griselinum, variis argumentis originem Cingarorum aegyptiacam probare ſtuduiſſe, cui quidem opinioni ab aliis et quidem ex profeſſo et ſingulari egregio libro a cl. Grellmanno grauia argumenta oppoſita et Cingaros ex Indica potius peninſula deriuatos eſſe nouimus. At enim vero quodſi eorum rationem habemus, quae doctiſſimus Meiners collega coniunctiſſimus de Aegyptiorum cum Indis affinitate demonſtrauit, facile patet, ipſam quoque iſtam quam diximus craniorum ſimilitudinem exinde intelligi poſſe, nouumque exinde accedere pondus ſententiae Volneii viri acutiſſimi, quam nuper de vi argumentorum ex phyſiognomia gentium petita ad originem eorum computandam, tulit *a*).

* * *

XII. *TATARI CASANENSIS.*

(— Tab. XII. —)

Elegantiſſimum cranium vt tot alia ſummae et aſſiduae liberalitati Perill. Baronis de Asch debeo. Viri iuuenis eſt quod praeter alia os occipitis a ſphenoideo adhuc ſeparatum, tum dentium integerrimae ne hilum adhuc deletae teſtantur coronae, vniuerſum vero caput oſſeum eximia conformationis pulcritudine et neſcio qua mol-

A 3 litie

a) *Voyage en Syrie et en Egypte* T. I. p. 75. — "*on peut poſer en principe,* „*que la phyſionomie eſt une ſorte de monument propre en bien des cas à* „*conſtater ou éclaircir les témoignages de l'Hiſtoire, ſur les origines des* „*peuples.*"

litie ſingulari conſpicuum eſt vtpote quod comparando id cum aliis barbarorum hominum craniis laeuore naturali excellit quo partes eleganter inuicem quaſi confluunt: in vniuerſum nil aſperi, horridi &c.

Characteres primarii: Os frontis amplum, modice fornicatum; arcus ſuperciliares neque protuberantes, neque glabella depreſſiore diſtinctae, ſed aequaliter inuicem coniuncti; naſi oſſa neque depreſſa neque aquilina, ſed pulcra directione a fronte deſcendentia; planum ſemiorbitale in temporibus non aſpera linea terminatum ſed ſenſim cum frontis et verticis oſſibus confuſum; ſuperior dentium ordo prae inferiore per vniuerſum ambitum aliquantum prominens; inciſores ſuperiores cum vicinis caninis reliquis pro portione maiores, omnes vero vtriusque ordinis ſymmetrici et contigui; maxillae denique inferiori mentum prominulum et inferior alarum lateralium margo pauliſper extrorſum flexus.

Alia obſeruata: protuberantia occipitalis externa nulla; ſutura lambdoidea denis circ. oſſiculis Wormianis diſtincta; maxilla inferior vbi alueolos dentium molarium continet inſigniter craſſa.

Comparando cranii huius elegantiorem habitum et conformationem cum characteribus quos vulgo a naturalis hiſtoriae nuperis ſcriptoribus Tataricis hominibus tributos videmus, ingenter iſtum ab his differre deprehendimus. Quodſi enim v. c. accuratiſſimum ceteroquin Erxlebenium *b*) audimus, hic Tataricam humani generis varietatem quam expreſſe tum ab ea quae borealis Aſiae incolas complectitur, tum a Transgangetana diſtinguit, praeter alia facie plana lataque, naſo breui craſſo et dentibus longioribus interſtitiis maioribus inſignem ait. Facile vidi virum egregium poſt tot alios hanc Tataricae gentis picturam mirum quantum a naturae veritate abhorrentem a Buffonio mutuaſſe, hunc vero praeter reliquos teſtes ad Petr. Bergeron editorem collectionis itinerum medio quod vocant aeuo a Marco Polo aliisque in Aſiam ſuſceptorum, prouocare *c*).

Detexi

b) *Syſt. regni animalis* cl. I. pag. 1 ſq.

c) *Hiſt. nat.* T. III.

Detexi denique primarium fontem ex quo et hic Tatarorum ſuorum deſcriptionem hauſit, vnde ſenſim in tot alios libros deriuata eſt: epiſtolam nempe YVONIS cuiusdam NARBONENSIS Clerici, a. 1243 Vindobonae ad GIRALDUM archiepiſcopum Burdegalenſem datam et a coaetaneo ſuo MATTHAEO PARIS Monacho Albanenſe anglo *hiſtoriae* quam vocat *maiori* inſertam. Agit ea "*de horribili vaſtatione inhu-„manae gentis, quam* Tartaros *vocant*" qui ipſis iſtis temporibus in Pannoniam quoque et ipſam Vindobonam inuaſerant, et poſt atrocium facinorum ab ipſis perpetratorum narrationem, corporis quoque eorum habitum ſequentibus deſcribit, quae, cum eo quem diximus modo tot tantorumque anthropologorum a BUFFONII inde temporibus errori anſam praebuerint ex ipſius PARISI chronico *d*) rarius obuio transſcribere operae pretium erit:

„*Habent autem Tartari*„ (— verba ſunt YVONIS —) „*pectora „dura et robuſta, facies macras et pallidas, ſcapulas rigidas et „erectas, naſos distortos et breues, menta proëminentia et acuta, „ſuperiorem mandibulam humilem et profundam, dentes longos et „raros, palpebras a crinibus vsque ad naſum protenſas, oculos „inconſtantes et nigros, aſpectus obliquos et toruos, extremitates „oſſoſas et neruoſas, crura quoque groſſa, ſed tibias breuiores, „ſtatura tamen nobis aequales; quod enim in tibiis deficit, in ſu„periori corpore compenſatur.*„

Haec NARBONENSIS noſter. At enim vero curatius rem penſitanti facile patet eum plane non de genuinis Tataris loquutum eſſe ſed de gente mirum quantum ab his diuerſa, Mongolis ſcil. ſ. Calmuccis quibus praeter nomen quo tum temporis veniebant et adhucdum paſſim cum Tataris male confunduntur *e*), nihil omnino cum his commune erat: adeoque omnes iſtos characteres qui toties ab hiſtoriae

d) MATTHAEI PARIS *hiſtoria maior*, editore WIL. WATS. Lond. 1686. fol. pag. 530.

e) Adeant quorum intereſt originem erroneae huius confuſionis noſſe, vnde Tatarorum nomen ad Mongolicas gentes transferri cepit, JO. EBERH. FISCHER *coniecturas de gente et nomine Tatarorum* inter EJ. *quaeſtiones Petropolitanas* p. 46 ſq. it. EJ. *Sibiriſche Geſchichte* T. I. p. 28 ſq. 142 ſq.

hiſtoriae naturalis auctoribus Tataris tributae ſunt, ad diuerſiſſimam Mongolorum nationem pertinere. Tataros contra nouimus formoſos homines venuſto et ſymmetrico vultu conſpicuos qualem et ipſum quod exhibemus cranium adhuc refert a Calmuccorum ſimo et repando vultu (qualem tum prior Decas tum infra explicandae tabulae exhibent) longiſſime abhorrens.

* * *

XIII. *KIRGISAE - CAISACCI.*

(— Tab. XIII. —)


Donauit me hocce quoque cranio aeque ac altero quodam eiusdem gentis, Perill. DE ASCH cui vtrumque Orenburgo miſerat cl. Dr. SANDEN medicus Vfenſis. Ambo capita ſunt ſeniorum iſtius gentis (*Starſchini* vocantur) et vel ideo maxime memorabilia, quod ſi iunctim ſpectentur et comparentur ſique a minoris momenti differentiis receſſeris, vniuerſo habitu ad amuſſim inuicem conueniant, et vnum eundemque characterem gentilitium prae ſe ferant.

Characteres primarii: Habitus inter Tataricum et Mongolicum ferem edius; facie quidem ad iugalia oſſa ſatis lata, ſuperficie malari oſſium maxillarium complanata, cui ſcilicet nulla impreſſa eſt fouea: fronte vero anguſtiore quam in Mongolicis craniis eſſe ſolet, orbitis quoque profundioribus, minus quam in his ſuperne hiantibus. Glabella tumide protuberans: naſi dorſum arctiore iugo decurrens: et quidem magis quam in Mongolorum capitibus, prominens.


Alia obſeruata: Lamina oſſium palatinorum horizontalis anguſtiſſima. Orbitarum parietes ſuperior, interior et inferior qui nempe ab oſſibus frontis, cribriformi et maxillaribus formantur, tenuiſſimi, oſſea eorum ſubſtantia hinc illinc plane reſorbta, ſenio puto; ſenis enim fuiſſe praeter alia ſuturarum fere omnium coalitus monſtrat.

* * *

VARIE-



XIII. Kirgisae _ Caisacci.



XIV Calmucci ſecundi.

VARIETATIS SECVNDAE SPECIMINA TERNA.

XIV. *CALMVCCI ſecundi.*

(— Tab. XIV. —)

Integrum huius Calmucci ſceletum a Cl. KARPINSKI Profeſſore Petropolitano paratum, itidem munificentiae generoſ. B. DE ASCH acceptum refero.

Characteres primarii: Globoſa fere caluariae forma; facies lata et depreſſa; frons explanata; iugalia oſſa extrorſum prominentia; orbitae ampliſſimae, patulae; arcus ſuperciliares elatae; habitus totius cranii quaſi inflatus et tumidus.

Alia obſeruata: ſingularis cranii leuitas; oſſium palatinorum lamina horizontalis ampliſſima; proceſſus maſtoidei quaſi in bullas inflati; introitus canalis lacrymalis ampliſſimus; narium apertura anguſtior, obliquitate deformis.

Reſpondet vniuerſus huius cranii habitus in vulgus notiſſimae Calmuccicae phyſiognomiae et perfecte omnino conuenit cum icone Caluariae Calmucci quam Jo. BENJ. DE FISCHER olim exhibuit *f*); mirum vero quantum imo vt nil ſupra abhorret ab ea quam in opere deſideratiſſimi CAMPERI poſthumo ſuper linea faciali *g*) pro eiusdem gentis capite oſſeo exhibitum, eiusque formam pro norma quaſi ideali maximae partis habitatorum orbis noſtri terraquei per vniuerſam nempe Aſiam, Americam borealem et mare pacificum quoque ad antipodes vsque noſtros Nouae Zeelandiae incolas, declaratum videmus. At enim vero vt poſteriorem hanc opinionem ſicco praeteream pede quae vix quemquam aſſentientem habebit cui ingentis iſtius

f) *Diſſ. oſteologica*, praeſide GAUBIO defenſa, *de modo quo oſſa ſe vicinis accommodant partibus.* Lugd. Bat. 1743. 4. tab. I.

g) *over het Verſchil der Wezens trekken.* Ultraj. 1791. 4. tab. I. fig. 4. tab. III. fig. 3.

iſtius partis globi noſtri homines eorumque natiuae varietates paulo cognitae ſunt; id vnice monuiſſe ſufficiat, mihi perſuaſum eſſe cranium iſtud potius ad diuerſiſſimam a Calmuccis hominum varietatem, ad Aethiopem nempe pertinere. Quamquam enim nulla gentilitia nationum forma tam conſtans et perpetua ſit, quin multimodis luſibus deflectat, vt v. c. inter noſtrates Europaeos paſſim Aethiopicum habitum aut Calmuccicum referentes videamus, ipſa tamen Calmuccorum capitis forma iſti Aethiopum tam plane oppoſita et contraria eſt, et Camperi contra figura, de qua nobis ſermo eſt, tam genuinum et quaſi idealem exhibet Aethiopem, vt nullus plane dubitem, caſu neſcio quo deceptum fuiſſe virum meritiſſimum, adeoque in opere iſto egregio praeter Europaeorum et bina Aethiopum crania nullius plane alius gentis oſſeum caput exhiberi.

* * *

XV. *IACVTAE.*

(— Tab. XV. —)

Rariſſimum cranium vtpote ex remotioribus Sibiriae terris advectum. Itidem indefeſſa Generoſi Aschiadae munificentia ad me peruenit. Irkutzkum primo attulit cl. Kratzsch chirurgus ſummam exercitus curans; hinc vero Petropolin ſecum tulit illuſtris Laxmannus Ruſſorum Imperatrici ab aulae conſiliis.

Characteres primarii. In vniuerſum prope abeſt ab illo Calmucci cranio quod priore Decade exhibui. Forma ipſi fere quadrata. Orbitae vaegrandes ampliſſimo oſſe cribriformi ab inuicem disiunctae; glabella tumide prominens; naſi oſſa coarctata et ſuperne in acutiorem apicem confluentia; verticis oſſa vtrinque in tubera elata.


Alia obſeruata. Senio confecti hominis caluariam eſſe, mandibulae magnam partem edentulae, et ſuturae pleraeque deletae docent. Quid quod et faciei oſſium, naſi ſc. et vnguis, et maxillarum et iugalium ſuturae ſ. vt vulgo in his oſſibus vocari ſolent, harmoniae, rariore exemplo conferbuerunt.


* * *

Diſputa-



XV. Jacutae.







XVI Tungusae.

Diſputatum eſt inter antiquitatum ſeptentrionalium auctores a quanam generis humani varietate deriuandi ſint Iacutae? an ſcilicet ad Mongolicam (quae mihi ſecunda eſt ex quinariis iſtis in quae vniuerſum genus humanum maxime ad naturae veritatem diuidi poſſe, cenſeo) anne potius ad Tataricam (quam ad primam iſtarum varietatum refero). Tam corporis forma quam animi indole ex vtrisque quaſi compoſitos eſſe alii monuerunt *h*). Cranium quidem de quo agimus, manifeſte Mongolicum characterem prae ſe fert, et reſpondent huic ſimilitudini Jo. G. Gmelini obſeruationes, qui Iacutas ſibi viſos Calmuccis quod ad faciei formam, naſum ſimum, oculos anguſtos v. c. comparat *i*), facile vero ab altera etiam parte intelligitur quomodo etiamſi Iacutorum aborigines ad Tataros pertinuerint, temporis tamen progreſſu connubiis cum Mongolicis populis, quorum ſtemmata, Tunguſae v. c., hodienum Iacutorum terras ad Lenam fluuium peruagantur, paſſim plus minus ab horum natiuo habitu ipſis admixtum fuerit.

* * *

XVI. *TVNGVSAE.*

(— Tab. XVI. —)

Pretioſiſſimum itidem ob remotiſſimam vnde venit orbis partem, Aschiadae Gener. curae vt tot alia quibus collectio mea ſuperbit, debeo. Tunguſae eſt, et quidem ex iis qui vulgo a *rangiferis* appellantur (— *Rehnthier-Tunguſen* —). Nomen ipſi erat *Tſchewin Amureew* ex *Gilgegirskio* ſtemmate nato, qui 350 leucarum Ruſſicarum (Verſtas vocant) diſtantia ab vrbe Barguſin degebat, anno vero 1791. ſibi ipſi gulam fregit, ideoque cl. Schilling, chirurgus exercitus primarius Werchnelldinski illinc mittebatur vt de laeſione mortis

h) Cf. cl. Georgi *Beſchreibung aller Nationen des Ruſſiſchen Reichs.* Petrop. 1776. 4. pag. 264.

i) J. G. Gmelin *Reiſe durch Sibirien v.* 1733–43. Gott. 1751. T. I. p. 77. — „*In der Geſtalt des Geſichts glichen die Jacuten den Kalmucken. Sie* „*hatten nämlich eine platte Naſe, kleine Augen und ein faſt rundes Ange-* „*ſicht.*„ —


mortis cauſa ex lege diſquireret, qui cranium autochiri ſecum reportauit et Aschio perill. transmiſit.


Characteres primarii: Habitus perfecte Mongolicus: facie plana ad arcus zygomaticos latiſſima, fronte depreſſa &c. Olfactus officina ampliſſima. Occiput mirum in modum retro eminens ita vt protuberantiae occipitalis externae diſtantia a dentibus inciſoribus ſuperioribus 9 pollices Lond. aequaret.

Alia obſeruata: Oſſis frontis pars media inferior cui glabella proxime ſubiecta eſt, depreſſior, quaſi foueae planioris forma; criſta longitudinalis oſſium vnguis in acutiſſimam laminam oſſeam excurrens; proceſſus pterygoidei exteriores in alas latiſſimas expanſi, ita vt dexter cum ala parua Ingrassiae quae foramini ſpinoſo ad ſpinam ſphenoidalem appoſita eſt, confluat et foramen magnum commune formet.


* * *

VARIE-






XVIII. Aethiopis quarti.



XVIIII Aethiopis quinti Congensis.





XIX:— *Aethiopisſae Guineensis.*

VARIETATIS TERTIAE SPECIMINA TRIA.

XVII. *AETHIOPIS quarti.*

(— Tab. XVII. —)

XVIII. *AETHIOPIS quinti* Congenſis.

(— Tab. XVIII. —)

XIX. *AETHIOPISSAE* Guineenſis.

(— Tab. XIX. —)

Prius iſtorum craniorum (— Tab. XVII. —) debeo fauori anatomici ſummi Casp. Fr. Wolffii Profeſſoris Petropolitani celeberrimi. Aethiopis eſt quem ipſe ante aliquot annos anatomico cultello ſubiecerat, et qui perenni ſpaſmo muſculorum manducationi inſervientium dextri lateris laboraſſe videtur, vnde maxilla inferior dextrorſum paulo diſtorta eſt.

Alterum (— Tab. XVIII. —) quod Congenſis hominis eſt, acceptum refero medico illuſtri et longe meritiſſimo cl. Reineggs, auguſtiſſimae Imperatricis collegio a conſiliis. — Vtrumque itidem Perill. Bar. de Asch cura ad me peruenit.

Tertio vero (— Tab. XIX. —) me donauit vir egregius meique amantiſſimus, Steph. Jo. van Geuns, illuſtris Matthaei fil. Profeſſor medicinae Vltraiectinus celeberrimus. Aethiopiſſae eſt, Guineae natae, Batavi ciusdam concubinae, quae aetatis anno 28vo Amſtelodami diem ſuum obierat.

Praeſtantiſſimam exhibent ſeriem, maxime ſi cum tribus iſtis aethiopum craniis comparantur, quae priore Decade exhibui, vtpote quae luculenter demonſtrant, genuinos aethiopes ſi craniorum formam ſpectes non minus certe, imo vero magis paſſim inter ſe ipſos ab inuicem differre, quam nonnulli eorum a multorum Europaeorum capitis forma differunt.

Ita enim v. c. ſecundum ordine (— Tab. XVIII. —) proxime ab Europaea conformatione abeſt vtpote cuius mandibulae longe minus quam in reliquis duobus (— Tab. XVII et XIX. —) prominent; naſi contra oſſa magis quam in his et proprius ad Europaeorum ſimilitudinem porrecta ſunt, et ſ. p.

In priore inferior maxilla prae ſuperiore prominet; in tertio contra haec prae illa.

Olfactus officina priori inſigniter anguſtata, reliquis duobus perampla.

Ipſa naſi oſſa iſti perexigua, ſingulariter arcta; ſecundo contra prolixa, tertio prae reliquis latiora.

Secundo arcus ſuperciliares cum glabella ad naſi radicem valde protuberantes; priori minus; tertio omnium minime, glabella ſcil. plana et patula leniter ad naſum deſcendente.

Palatum et limbus alueolaris ſecundo latior, reliquis anguſtior.

Iſti maxilla inferior alta, reliquis humilis, depreſſa.

Iſti angulus maxillaris magis ad perpendiculum excurrens, reliquis longe obtuſior.


Iſti mentum depreſſum vt ſub foraminibus mentalibus vtrinque angulum formet, rotundatum contra in reliquis.

Taceo reliquas totius conformationis diuerſitates primo intuitu ex adiectis iconibus dignoſcendas.

Id vero obiter adieciſſe liceat, in altero iſto (— Tab. XVIII —) oram foraminis maxillaris poſtici anteriorem vtrinque in ſpinoſum aculeum aſcendere, proxime ab angulo inferiore proceſſus pterygoidei externi latiſſime expanſi diſtantem.

* * *

VARIE-





XX. Feminae caribeae
ex insula S^{ti} Vincentii.

VARIETATIS QVARTAE SPECIMEN.

XX. *FEMINAE CARIBEAE EX INSVLA S^{TI} VINCENTII.*

(— Tab. XX. —)

Coronidem impono huic decadi prodigioſo plane cranio feminae eiusdem gentis cuius virile alterum ſuperiorem diſſertationem ornat. Superbit quidem et hocce rariſſimo ſpecimine muſeum meum munificentia eiusdem Perilluſtris viri et magni omnis hiſtoriae naturalis promotoris, Josephi Banks, Baroneti, Reg. Soc. Lond. praeſidis digniſſimi, cui et alterum illud acceptum refero.

Horridam et fere monſtroſam huius capitis diſtortionem non niſi artis opus eſſe, violente ſcil. et perennis tam in fronte quam in nucha preſſionis per ſe patet, et luculenter ea confirmat, quae ad calcem prioris decadis de eo argumento contra Camperi aliorumque obiectiones monui. Gratiſſimum vero inſuper accidit, cum poſt editam iſtam decadem diſſertatio cl. Amic Med. Doctoris apud Guadelupenſes, de Caribaeorum capitis forma prodiret, qua importunam cl. Arthaud dubitationem curata deſcriptione et iconiſmo faſciarum et puluillorum refellit, quibus barbari iſti inſulani infantum ſuorum capita ceu vdum et molle lutum (vt cum Persio loquar) in gratam ipſis depreſſam et repandam formam fingunt. Quorum puluillorum machinamenta ita comparata ſunt vt cranii huius formae ad amuſſim reſpondeant, quae quidem ex icone adiecta tam luculenter patet vt vlteriore explicatione praeter ea quae priore decade ad alterum Caribaei cranium attuli, non egeat.

JO. FRID. BLUMENBACHII

PROF. MED. ORDIN. M. BRITANN. R. A. CONSIL. AVL. SOC. REG. SCIENT. GOTTING. ET LONDIN. IT. ACAD. AMERICANAE ART. ET SCIENT. BOSTON. SOCIET. ROTTEROD. ALIARVMQVE MEMBRI

DECAS
TERTIA COLLECTIONIS SVAE
CRANIORVM
DIVERSARVM GENTIVM ILLVSTRATA.

GOTTINGAE
APVD JOANN. CHRIST. DIETERICH.
MDCCXCV.

Quamquam priores duae decades inſignem ſatis et memorabilem craniorum diuerſarum gentium copiam exhibuerint, bina tamen hactenus reſtabant, quibus inuitiſſimus carebam ad ſeriem vniuerſam anthropologico ſcopo explendam: primo nempe caput oſſeum tanta ſymmetricae pulcritudinis perfectione conſpicuum vt pro norma quaſi ideali et canone venuſtiſſimae conformationis haberi poſſit: tum vero vnum quoque alterumue ſpecimen iſtius generis humani varietatis quae oceani auſtralis inſulanos complectitur.

Vtrique deſiderio iam ſatisfecerunt pro inſigni ſua erga me munificentia viri Perilluſtres Banksius Baronetus, et L. B. de Asch. Huic nempe acceptum refero ſpecioſiſſimum cranium feminae adoleſcentis Georgianae; iſti vero bigam craniorum vtriusque ſtemmatis principis barbarorum auſtralis oceani inſulas habitantium; alterum nempe Nouo-Hollandi, alterum Otaheitae.

Hiſce vero ſelectum ſeptem aliorum capitum oſſeorum talem iunxi, vt nunc tertiae huius decadis additione ſatis completam varietatis gentilitiae craniorum ſynopſin, me exhibuiſſe, confidam.

* * *

VARIETATIS PRIMAE SPECIMINA BINA.

XXI. *FEMINAE GEORGIANAE.*


(— Tab. XXI. —)

Cranium eſt, vt modo dixi, feminae iuuenis Georgianae, quae nuperiore bello Turcico a Ruſſis capta, et Moſcouiam translata, illic cum morte ſubitanea obiiſſet, cauſſam eius legali ſectione ex muneris officio indagauit cl. Hiltebrandt, anatomes Profeſſor apud Moſcovienſes digniſſimus; qui caput oſſeum ob eximiam formae elegantiam curate ſeruauit, et Perilluſtri L. B. de Asch Petropolin miſit, cuius liberalitate, quam toties iam expertus veneror, in collectionem meam tranſiit.

Vniuerſus huius cranii habitus tam elegans et venuſtus, vt et tantum non ſemper vel indoctorum, ſi qui collectionem meam contemplantur, oculos eximia ſua proportionis formoſitate feriat.

Caluaria ſubgloboſa, verſus tempora paulo compreſſior; frons modice explanata; oſſa iugalia anguſtiora, inde a proceſſu malari oſſis frontis leniter vtrinque deſcendentia et retrorſum flexa; arcus ſuperciliares aequabiles nullo ad glabellam interfinio diſtincti, ſed eo loco molli potius tubere cum naſi dorſo confluentes; limbus alueolaris aequabiliter arcuatus; mentum pleniusculum, pulchre rotundatum; verbo, in vniuerſo capitis huius oſſei ambitu nihil aſperi, nihil praeter modum proſilientis, ita vt perfecte medium teneat locum inter bina faciei gentilitiae in humano genere extrema; Mongolicum nempe alterum, facie complanata et quaſi depreſſa, ac oſſium iugalium extrorſum vtrinque directa eminentia inſigne; alterum Aethiopicum, fronte contra tuberoſa et fornicata, ac mandibulis anguſtis ſed antrorſum porrectis, conſpicuum.

Quam ingenter enim bina iſta extrema ab inuicem abhorreant, quamque perfecte medium inter ea locum teneat Georgianae de quo agimus cranium, luculentiſſime pateſcit craniis his iuxta ſe poſitis, facie



XXI Feminæ Georgianæ.

facie eorum ad eandem lineam horizontalem directa, tumque retro a vertice conſideratis: de cuius aſpectus ſeu *normae verticalis* ad craniorum formam gentilitiam inuicem comparandam ratione et vſu alias egi, et ipſiſſimorum quae modo dixi ternorum craniorum exemplis illuſtraui *a*).

Quanta vero Georgianae capiti oſſeo ſymmetrica proportio et venuſtas, optime ſentitur curatius id ipſum comparando cum vno alteroue femineo ſimulachro diuinorum artis antiquae Graecanicae operum. Eſt mihi v. c. dum haec ſcribo ad manus gypſeum exemplum protomes marmoreae Clyties ineffabili pulcritudine conſpicuae, quae ex Laurentiano quo Neapolis ſuperbit palatio in theſaurum ſelectiſſimum artis antiquae operum tranſiit, quem vir humaniſſimus et doctiſſimus Car. Townley Londini ſummo iudicio et guſtu ſibi congeſſit. Comparato iam iſto de quo agimus cranio cum hocce capite gypſeo, quatenus nempe inuicem conferri poſſunt, adeo iſtud huic reſpondere vides, vt illud huius prototypo quondam inhaeſiſſe, peierares.

Reſpondet ceteroquin formoſum iſtud cranium, quod ſane pro canone ideali habere licet, iis quae de ſumma Georgianae gentis pulcritudine vel in vulgus nota ſunt *b*).

* * *

a) *De generis humani varietate natiua*, edit. 3. 1795. pag. 204 ſq. tab. I. fig. 1. 2. 3.

b) Ex nube teſtium citaſſe ſufficiat Jo. Chardin, itinerarii claſſici vol. I. pag. 171. ed. Amſt. 1735. 4. — "*Le ſang de Géorgie eſt le plus beau de* „*l'Orient, et je puis dire du monde. Je n'ai pas remarqué un viſage laid* „*en ce païs-là, parmi l'un et l'autre ſexe: mais j'y en ai vu d'angeliques.* „*La Nature y a répandu sur la plupart des femmes, des graces qu'on* „*ne voit point ailleurs. Je tiens pour impoſſible, de les regarder ſans les* „*aimer. L'on ne peut peindre de plus charmans visages, ni de plus belles* „*tailles, que celles des Géorgiennes.*"

XXII. *SARMATAE LITVANI.*

(— Tab. XXII. —)


Donum deſideratiſſimi Reineggs, viri de re medica et hiſtoria naturali longe meritiſſimi, quod itidem cura Generoſiſſimi Aschiadae ad me peruenit.

Eam praeſertim ob cauſſam hic exhibeo, vt ad oculum quod aiunt comprobem, quae alias in *lineam facialem* Camperi animadverti, quam male nempe ſufficiat ad characterem craniorum gentilitium conſtituendum. Quodſi enim hocce de quo agimus cranium a latere tantum ſpectamus, parum ſane abeſt quin ei Aethiopis Congenſis capiti oſſeo, quod Decadis ſecundae tab. XVIII delineatum eſt, fere vt ouum ouo ſimile ſit; quando vero vtrumque ad *normam verticalem* reuocatur, quam modo dixi, mirum quantum vnum ab altero differre, luculentiſſime apparet. Tunc enim alterum vel anguſta iam et a lateribus quaſi compreſſa caluaria, fronteque tuberoſa et fornicata, aperte Aethiopicam originem teſtatur; et inſigniter ab altero hocce Sarmatico diſcrepat.


Validiſſimum ceteroquin hocce cranium eſt, valde craſſum, robuſtum et ponderoſum: prouectioris aetatis viri: praeter alia minoris momenti, maxime limbi orbitarum anguſtia, harumque contra alta profunditate, et ſinibus frontalibus praeſertim ad glabellam horride prominentibus, inſigne.

* * *

VARIE-



XXII Sarmatæ Lituani.



XXIII *Sinenſis Daurici.*

VARIETATIS SECVNDAE SPECIMINA TERNA.

XXIII. *SINENSIS DAÜRICI.*

(— Tab. XXIII. —)

Cranium eſt genuini Tunguſae Daürici ſ. Sinenſis tribus Saradulicae, quae quidem Seculo poſteriore ad finem vergente principem Gantimurow ſecuta, Amuri ripas relinquens, Ruſſicae poteſtati ſe ſubiecit. Senis eſt octoginta octo annorum, ante aliquot annos ad Onon fl. prope reſeruatum vt vocant, Tunguſio-Iljinenſe mortui, a viro egregio Jo. Roesslein, M. D. Rutenorum Imperatrici ab aulae conſiliis, in itinere Sibirico verſante, ex ſepulcro erutum, et ad Perill. Bar. de Asch Petropolin miſſum eſt, cuius liberalitate in meam collectionem tranſiit.

Characteres primarii. Omnes ac ſinguli habitum Mongolicum ſpirant. Facies plana, depreſſa; naſo ſimo, foſſa malari leuiſſime tantum ſinuata, et oſſibus iugalibus vtrinque ad latera exporrectis. Mentum prominulum.

Alia obſeruata. Limbus alueolaris ſuperior, etſi pridem edentulus, tamen non vt alias in ſilicerniis dentibus orbis ſolet, reſorptus, ſed magnam partem ſuperſtes, alueolis quamuis clauſis et margine extremo quaſi in aciem excurrente.

Memineram cum priore decade primum Mongolici hominis cranium exhiberem, binarum imaginum iuuenis Calmucci quae penes me ſunt et gentilitio ſuo charactere perfecte cum eo conueniunt quem iſtius hominum varietatis capita oſſea prae ſe ferunt. Contigit vero mihi ab eo inde tempore eſſe tam felici vt amicitia viri humaniſſimi cl. Tatter, M. Britann. Reg. a ſecret. legation. eiusdem Calmucci effigie, ſed ab hoc ipſo propria manu, incomparabili plane artificio et guſtu, et viuidiſſima ſimilitudine creta nigra

(ſ. ſchiſto

(ſ. ſchiſto ſcriptorio) delineata, potirer. Cum enim vir iſte humaniſſimus in comitatu Sereniſſimi M. Britann. Principis AUGUSTI Romae verſaretur, in pictorum coetu diuerſarum gentium illuc confluente Mongolicum hunc ſummum artificem, cui nomen FEDORIS IWANOWITSCH, offendit, eamque quam dixi imaginem ab ipſo parari curavit, eaque tanquam cimelio ſummi pretii ſupellectilem meam anthropologicam ditauit. Tanto autem guſtu tamque delicata perfectione expreſſa eſt haec imago, vt non ſemel vel artis periti primo intuitu haeſitarint anne anglici chalcographi opus eſſet ſumma mollitie aere expreſſum. Quanta vero ipſi inſit ſimilitudo vel ex eo coniicere licet, quod ſaepius iam viri in itinere verſati Roma reduces me inuiſentes, primo ſtatim aſpectu et ſponte imaginem eam admirabundi agnouerint. Simul autem tam perfecte gentilitium characterem Mongolicum ſpirat, vt pro ideali huius varietatis generis humani icone haberi poſſit.

* * *

XXIV. *ESKIMOTAE PRIMI.*

(— Tab. XXIV. —)

Rariſſima binorum Eſkimotarum crania debeo amicitiae viri tum ſcriptis tum factis de ſalute multorum hominum longe meritiſſimi, cl. Jo. LORETZ, cuius quippe cura et ſtudio e colonia Nain orae Labradoricae ad me peruenerunt.


De vtrisque ſeorſim. Atqui prius de eo quod adhuc inferiore mandibula inſtructum eſt.


Characteres primarii. Vniuerſo habitu perfecte medium locum tenet inter Mongolicae varietatis crania hactenus a me deſcripta et Americanae; ita vt tranſitum ab iſtis ad haec facere dicendum ſit. Facies nempe plana quidem, iugalibus tamen oſſibus non adeo vt apud Mongolicas gentes extrorſum eminentibus; naſus paruus vtique, neque tamen adeo vt in his ſimus et depreſſus. Mentum acuminatum, prominens. Foſſa baſilaris, (regio ſcilicet margini

poſtremo



XXIV Eskimotæ 1^{mi}.





XXV Eskimotæ 2di

poſtremo laminae horizontalis oſſium palatinorum, et proceſſibus pterygoideis oſſis ſphenoidei ad condylos vsque occipitales interiecta,) in longum extenſa, ſed plana, parum profunda. Occiput protuberans.

Alia obſeruata. Oſſa vnguis anguſtiſſima, fere linearia et perquam tenuia. Dentium coronae maximam partem detritae: procul dubio ex victus crudi et durioris ratione; vnde et Eſkimotarum nomen originem traxiſſe perhibetur.

Ad amuſſim reſpondet caput hocce oſſeum egregiis imaginibus viuis coloribus a ſummo artifice Nathan. Dance ad ipſam naturam Londini factis binorum Eſkimotarum, viri et feminae, a cl. G. Cartwright a. 1773 a Capite Caroli orae Labradoricae in Angliam translatorum *c*), quorum copiam pro humanitate ſua et ſtudia promouendi ardore mihi fecit Perill. Baronetus Banks. Nam et viuidae hae icones adeo mediam teſtantur faciem gentilitiam Mongolicam inter et Americanam, vt vel ſolae ad refutandam Robertsonii paradoxam opinionem ſufficiant, ſi refutatione adhuc opus eſſet, quaſi nempe Eſkimotae a Normannis originem ſuam traxerint *d*).

* * *

XXV. *ESKIMOTAE SECVNDI.*

(— Tab. XXV. —)

In vniuerſum priori quoad characteres primarios ſimile cranium. Imo vero planities ſingularis foſſae baſiliaris adhuc maior. Hinc et zygoma elongatius, et valde gracile.

Differt tamen maiore ambitu limbi alueolaris, cuius vero in altero cranio anguſtia fortaſſis alueolis pridem poſt dentium caſum obli-

c) Cfr. Cptn. Cartwirght's *Journal during a Reſidence of nearly 16 years on the Coaſt of Labrador.* vol. I. pag. 41. 262-75. 277.

d) v. Robertson's *hiſtory of America* vol. II. pm. 40.

obliteratis debetur; cum contra in eo de quo nunc agimus vtrinque maxillares reſtent: ſed et hi aeque ac caninus ſuperſtes admodum detriti.

Singulari ceteroquin et characteriſtico ſuo habitu prope abeſt a binis aliis craniis, eiusdem vt veriſimillimum eſt gentis, etſi ex longe diſtantibus, quas mire diſſitas incolit, oris; altero nempe quod ex ſinu Georgii (*Nutka-Sound*) retulit meritiſſimus King et academiae Oxonienſi dono dedit, vbi in theatro anatomico collegii Chriſti aſſeruatum, monſtrauit mihi amiciſſimus Pegge, anatomes Prof. in ea academia digniſſimus *e*); altero ex inſula canum (*Hond-Eyland*) ad fretum Disko littoris occidentalis Groenlandiae, quod a chirurgo Würtenbergenſi Riecke reportatum et a Winslovio curate deſcriptum *f*).

* * *

e) Iconem huius cranii exhibuit a. 1785 tabula anecdota, Perilluſtri Banksio dicata, Camperus.

f) In *Mémoires de l'acad. des ſciences de Paris* a. 1722. pag. 323.

Lapſum Camperi, cum Winslovium plane immerentem hac occaſione erroris reum autumabat, emendaui nupera editione l. *de generis hum. varietate natiua* pag. 227.

VARIE-



· XXVI O_taheitæ.

VARIETATIS QVINTAE SPECIMINA BINA.

Bina haec crania inſulanorum oceani auſtralis ſ. pacifici, quibus collectionem meam ditauit munificentia Perill. Banksii Baroneti, vtut per ſe iam tam ob ingentem locorum diſtantiam in aduerſa orbis terraquei plaga vnde aduecta ſunt, quam ob gentium ad quas pertinuerunt famam et celebritatem ſummo ſupellectili meae ornamento ſunt, praeterea tamen duplici ex cauſſa tanto magis memorabilia ſunt; quod nempe hactenus nullum huius varietatis generis humani caput oſſeum icone exhibitum ſit: tum vero quod ad bina ea ſtemmata pertineant in quae iſtam varietatem denuo diſpeſcendam eſſe nuperis nonnullis auctoribus viſum eſt. Alterum nempe, quo et Otaheitenſes referunt, badii coloris et elegantioris formae, qua, aeque ac lingua, cum Malais conueniat; alterum contra, cui et Nouo-Hollandos accenſent, tam fuſco magis colore, quam vultu propius ad Aethiopum habitum accedens. Quam tamen differentiam non tanti momenti eſſe, docet tum curatiſſimorum autoptarum obſeruatio, qua conſtat, multifariis gradationibus oceani iſtius inſulanos quoad vultum gentilitium inter ſe differre et inuicem denuo confluere; (inter ipſos v. c. Otaheitenſes alios Europaeis ſatis ſimiles eſſe, alios contra Mulatorum faciem prae ſe ferre *g*); Nouo-Caledonios autem medium inter hos et Papuanos tenere locum &c.) tum vero ipſius quam hic exhibeo craniorum bigae contemplatio et comparatio.

XXVI. *OTAHEITAE.*

(— Tab. XXVI. —)

Retulit hocce cranium Banksii generoſiſſ. rogatu fortis et animoſus Nauarchus, Guil. Bligh, ex memorabili itinere redux quo artocarpi inciſae ſtirpes ex Societatis inſulis oceani auſtralis in Indias occidentales feliciſſimo ſucceſſu transportauit. Tantoque maioris

 aeſtu-

g) v. Bougainville *voyage autour du monde* pag. 214.

aeſtumandum quod inferiore mandibula adhuc inſtructum ſit, quae in publicis ſepulcretis, vbi funera ex gentis iſtius ritu machinis elatioribus imponuntur, in tanto coeli ardore cito a capite ſoluta delabitur et cum aliis confunditur; ab eorum vero cadaueribus qui in clade occubuerunt a victoribus ſtatim reſcinditur et tropaei loco horum ante fores ſuſpenditur.

Characteres primarii. Caluaria modice anguſtata; vtriusque tamen bregmatis medio inſigniter protuberante. Mandibula ſuperior aliquantum prominens. Frontis medium et verticis, vbi ſutura ſagittalis excurrit elatiore quaſi iugo diſtinctum. Arcus ſuperciliares admodum tumidi.

Alia obſeruata. Vtraque lamina orbitalis oſſis frontis; eo praeſertim loco cui glandula lacrymalis aſſedit, pluribus et maioribus foraminulis pertuſa eſt, quam vnquam alias me vidiſſe memini. Inprimis vero memorabile eſt vulnus quo diu ante mortem, lanceae vt videtur ictu, afflictum fuiſſe Otaheitam ad quem hoc cranium pertinuit, neceſſe eſt, ex quo nempe diffracta et in interiora oſſis ethmoidei intruſa lamina papyracea orbitae ſiniſtrae cum vicinis narium internarum partibus oſſeis, mirum in modum conferbuit.


Conuenit ceteroquin cranii huius habitus perfecte tam cum iis quae de rudiore vultu et lineamentis plebeiorum Otaheitenſium perhibentur *h*), quam cum fidis et a peritis artificibus profectis imaginibus eorum, v. c. iis notiſſimi Omai quae ad Nathanaelis Dance et Josuae Reynolds picturas aeri inciſae ſunt.

* * *

XXVII.

h) Ita v. c. de iis magnus ceteroquin Otaheitenſium encomiaſtes, deſideratiſſ. G. Forster in *voyage round the world* vol. I. pag. 265. "*their features* „*were very irregular, and in general very ordinary.*"

Et pag. 290. "*artleſs nymphs in whom youth ſupplied the want of* „*beauty.*"



XXVIII Novo_Hollandi.

XXVII. *NOVO-HOLLANDI.*

(— Tab. XXVII. —)

Viri iuuenis eſt, et quidem, vt ex Perilluſtris Banksii litteris didici, ex primis eorum qui noua Anglorum colonia prope fretum botanicum (*Botany-bay*) ad Sydneii ſinum (*Sydney-cove*) conſtituta, huic ſe committere et cum nouis aduenis degere auſi ſunt.

Characteres primarii in vniuerſum cum iis quos ad Otaheitae cranium recenſui, conueniunt, bregmata tamen minus protuberant; hinc caluaria anguſtior et hoc reſpectu paulo propius ad Aethiopicum habitum accedens. Mandibulae ſuperioris anterior facies naribus ſubiecta vtrinque vsque ad caninorum dentium alueolos ſingulariter plana; fortaſſis ex diutina obicis transuerſalis preſſione, quod barbaros iſtos ſepto narium perforato geſtare, notum eſt. Choana peranguſta. Fiſſurae orbitales ſuperiores praeter modum breues et exiguae.

Alia obſeruata: oſſium vnguis loco rima anguſta, fere linearis, ita vt ſi adfuerunt ea oſſicula, ipſa tamen mirifice anguſta fuiſſe, neceſſe eſt. Alueolus dentis inciſoris ſuperioris medii dextri coalitus, quod eum dentem Nouo-Hollandi pueris ſuis tantum non omnibus, ex ſuperſtitioſo vt videtur ritu, euellant.

Proxime abeſt cranii huius habitus ab imagine accurata Papuani ex inſ. longa (Belg. *Lange Eiland*) ad caurinum littus Nouae-Guineae, quam peritus artifex Corn. de Bruin itinerario ſuo inſeruit *i*), et cui binos iuuenes Nouo-Hollandos, quos nouae Coloniae primus Gubernator cl. Phillips Londinum attulit, ſimillimos eſſe, ab autoptis doceor.

* * *

i) v. Ej. *Reizen over Moskovie* &c. Amſt. 1711. fol. pag. 364. tab. 197. Collato Nic. Struyck in *Vervolg van de Beſchryving der Staartſterren.* ibid. 1753. 4. pag. 165.

SVPPLEMENTVM TRIVM CRANIORVM INFANTILIVM DIVERSISSIMARVM GENERIS HVMANI VARIETATVM.

XXVIII. *PVELLAE IVDAICAE.*

(— Tab. XXVIII. —)

XXIX. *INFANTIS BVRAETI.*

(— Tab. XXIX. —)

XXX. *AETHIOPIS NEONATI.*

(— Tab. XXX. —)

Trigam hanc craniorum hic ſubiungere operae pretium duxi quod luculenter demonſtret, characteres gentilitios, quibus varietates diuerſiſſimae generis humani ab inuicem differunt, iam infantili aetatula conſpicuos eſſe.

Duo ideo ſpecimina exhibeo binorum in ea varietatum ſcala extremorum, quae nempe omnium maxime inter ſe abhorrent, Mongolicae inquam et Aethiopicae. Tertium vero quod perfecte medium inter iſta extrema locum tenere dicendum eſt, ad Caucaſiam varietatem pertinens.

Hoc ſcil. Iudaicae puellae circiter quinquennis, hiſce in terris natae et ſymmetrica conformationis elegantia inſigne.

Alterum, Mongolicae quippe varietatis, Buratici infantis eſt ſesquiennis, quod rariſſimum exemplum iterum Perilluſtris Aschiadae munificentiae debeo. Irkutzkum primo attulit cl. Kratzsch, meritiſſimus cui ſumma exercitus commiſſa eſt, chirurgus: dehinc vero Petropolin ſecum attulit cl. Laxmann Ruſſorum Imperatrici ab aulae conſiliis. Vtut infantile, molle quaſi et rotundatum, non infitiandum tamen Mongolicum characterem, faciem

nempe



XXVIII *Puellæ Judaicæ.*



XXIX Infantis Buræti.



XXI. *Aethiopis neonati.*

nempe complanatam et iugalia oſſa extrorſum prominentia, aperte prae ſe fert.

Tertium denique, Aethiopis nempe neonati, acceptum refero cl. Billmann, chirurgo Caſſellano experientiſſimo. Tenellum hocce cranium mandibulis porrectis vel primo intuitu originem ſuam et ingentem a Mongolica varietate differentiam, luculentiſſime teſtatur.

* * *

Coronidis denique loco bina monere liceat, quae vniuerſam iconum craniorum, quae ternis decadibus exhibui, rationem attinent.

Primo nempe, quoduis cranium eo ſitu et aſpectu delineatum eſſe, quo characteres eius diſtinctiui gentilitii euidentiſſime oculos feriunt. Alia ergo a latere, vt ea Aethiopum. Alia directe a fronte, vt macrocephali iſtius, (Dec. I. tab. III.) aut Indi Americae ſeptentrionalis, (Dec. I. tab. IX.). Longe plurima autem directione plus minus oblique deflexa, quod eo ſitu plerorumque character diſtinctiuus omnium optime dignoſcatur; melius quam ſi vel a latere vel a fronte exhibitum fuerit caput: adeo vt me hac ratione, curate in quouis aſpectum maxime characteriſticum exquirendo, ſtudio hocce anthropologico longe ſatius conſuluiſſe perſuaſus ſim, quam ſi quodvis eorum duplici figura, a latere nempe et a facie directa, exhibuiſſem.

Alterum monitum eo redit, quod tamen artis delineandi peritis per ſe patet, omnes ac ſingulas craniorum icones *pictorum* more ex vno eodemque puncto optico ſ. principali fixo et inmutato, perſpectiuice vt dicunt, delineatas eſſe; minime gentium vero orthographica *architectorum* proiectione, qua axis opticus ſenſim ſenſimque mutatus ſemper horizontali directione cuiuis obiecti parti obuerſus

eſt

eſt *k*). Quanquam enim haec ratio architectonicarum deſignationum fini egregie reſpondet, imo et in vulgaribus tabulis anatomicis ſatis commode adhiberi poteſt, quod plures ſimul obiecti partes viſui offerat, quarum contra in perſpectiuica delineatione altera alterum abſconderet; eandem contra in eiusmodi imaginibus quales hic exhibui et quarum vis et vſus vnice in accuratiſſima repraeſentatione vultus characteriſtici gentilitii, proportionis ergo et habitus totalis conſiſtit, nunquam ſane admittendam eſſe, facile fatebitur qui craniorum iconem, orthographica iſta architectorum proiectione deſignatam, qualis v. c. in B. S. Albini *tabulis oſſium* extat, cum ipſa natura comparauerit, vtpote in qua, fatente ipſo tabularum iſtarum egregio auctore *l*), "quia more architectorum „menſurata et reddita erat, dentium ſeries *multo latior* eſt quam ſi „quis pictor prope adſtans ex vno eodemque aſpectu cerneret. — „Pleniora enim et latiora apparent omnia quae architectorum modo „menſurata ſunt."

k) v. pluribus de duplici hac delineandi ratione diſputantes, Camperum in *epiſtola ad anatomicorum principem magnum* Albinum, Groning. 1767. 4.
et B. S. Albinum *annotationum academicarum* L. VIII.

l) *Annotat. academic.* l. c. pag. 25. 28. 30 et al.

JO. FRID. BLUMENBACHII

PROF. MED. ORDIN. M. BRITANN. R. A CONSIL. AVL. SOCIET. REG. SCIENT. GOTTING. LONDINENS. ET SENENS. ACAD. AMERICANAE ART. ET SCIENT. BOSTON. SOCIET. PHILOS. PHILADELPH. ROTTERODAMENS. HARLEMENS. ALIARVMQVE MEMBRI

DECAS QVARTA COLLECTIONIS SVAE CRANIORVM DIVERSARVM GENTIVM ILLVSTRATA.

GOTTINGAE
APVD JOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.
MDCCC.

Vicesimus iam voluitur annus, ex quo primo conſilium cepi comparandae ſupellectilis anthropologicae, qua quidem generis humani varietates gentilitias tanquam documentis genuinis ad ipſam naturae veritatem illuſtrare liceret. Creuit ea, tum aſſidua quantum in me erat perſeuerantia, tum vero maxime fautorum et amicorum liberali quo me iuuerunt ſtudio adeo, vt iam vel craniorum diuerſarum gentium numerus, ex quinis terraquei orbis partibus rara fortuna congeſtus, *centenarium* ſuperet.

Ternis eorum decadibus e pluribus ſelectis, quas ſuperioribus annis exhibui, nunc quartam iungere liceat, tam eximia ſpeciminum raritate, quam inſigni eorum ad characteres gentilitios ſtemmatum humani generis illuſtrandos vtilitate et dignitate, nulli iſtarum ſecundam. Praeterquam enim quod inter alia remotiſſimarum Americae et ipſius Auſtraliae populorum crania contineat, inprimis triga ſpeciminum reliquis praeſtat veneranda non ſolum antiquitate memorabilium, verum et ex ipſis ternis quae orbem veteribus cognitum conſtituunt mundi partibus, deſumtorum. Europaeum ſcil. caput veteris Romani militis praetoriani; Afrum mumiae Aegyptiacae; Aſiacum denique Tſchudae ex vetuſtiſſimo Scythiae Sibiricae tumulo erutum.

Atque de his quidem primo ſtatim loco ſigillatim agamus.

* * *

TRIA CRANIA PERANTIQVORVM EX DIVERSISSIMIS ORBIS PARTIBVS GENTIVM.

XXXI. *MVMIAE AEGYPTIACAE SECVNDAE.*

(— Tab. XXXI. —)


Prima quidem iam decade Aegyptiaci medicati funeris caput deſcripſi, quod vero aeque ac reliqua ad vnum omnia mumiarum crania, quotquot mihi adhuc contemplari licuit [ſatis multa autem vidi neque perfunctorie tantum in eadem me inquiſiuiſſe, binis quas ſuper mumiis edidi diſſertationibus *a*), probare ſtudui.] haec inquam omnia id ipſum quod nunc exhibeo, inſigni quo conditum eſt artificio et intemerata integritate, longe ſuperare dicendum eſt. Debeo hoc cimelium amicitiae viri coniunctiſſimi, Thomae Turner, armigeri angli, qui quidem id ipſum antea in muſeo Petiti, medici Londinenſis *b*), fuiſſe, me docuit.

Tectum adhuc erat cum ad manus meas peruenit, inuolucris byſſinis bitumine firmiſſime induratis, demta vnice ea tegminum parte, quae per mediam faciei longitudinem decurrerat, ita vt iam frontis pars denudata eſſet, naſi autem oſſei foramina hiarent et labiis dilapſis dentes inciſiui vtriusque ordinis exſerti conſpicerentur. Quum autem vultum vetuſtiſſimi Aegyptii hominis reuelatum intueri auerem, inuolucra bituminata, quae ipſi arctiſſime adhaerebant, cauta et ſuſpenſa manu a dextro faciei latere diffregi; quo quidem facto non oſſeam tantum, vt in priore iſto mumiae cranio, compagem, ſed et mollium partium, conditura exſiccatarum, imo et cutis magnam partem, hancque in ſubmaxillari regione adhuc barbae male

a) *Von den Zähnen der alten Aegyptier und von den Mumien*, in *Götting. Magazin der Wiſſenſch. und Litteratur.* P. I. p. 109.

Obſervations on ſome Egyptian Mummies opened in London, in *Philoſoph. Transactions* 1794. pag. 177 recuſae in *new Annual Regiſter* a. 1794. gallico autem idiomate in *Magazin Encyclopedique* T. I. P. IV. et italico in cl. Brugnatelli *Annali di Chimica* P. XI.

b) v. Jo. Hadley's *Account of a Mummy* in *Philoſ. Transactions* Vol. LIV. 1764. pag. 1.



XXXI. Mumiae Aegyptiacae 2^{dae}.

male tonſae veſtigiis aſperam inueni; quo quidem virile fuiſſe funus conſtitit, et vel hoc ſpecimine paradoxa hodiernorum Aegypti incolarum opinio refutetur, ſaepius ab auctoribus rerum Aegyptiacarum repetita *c*), quaſi humanae mumiae ex arenoſis iſtis prope Sacaram hypogaeis erutae omnes ac ſingulae ſequioris ſexus eſſent. Palpebrarum quoque veſtigia haud infitianda ſuperſunt; interiora autem orbitarum ſingulari ſubſtantia quaſi ochracea piſſasphalto intermixta, replentur.

Quam vero alias iam ex profeſſo tetigi *d*) mirandam et vere anomalam dentium inciſiuorum conformationem, in tot iam mumiis (ex eorum nempe numero quae bitumine vere obduratae, non vero mollibus tantum faſciis byſſinis laxius obuolutae ſunt) obſeruatam, etiam in hoc egregio ſpecimine luculentiſſime cernere licet. Sunt enim vtriusque maxillae, praeſertim vero ſuperioris inciſores, ſi modo inciſores eos appellare licet, non ſcalprorum in modum cuneati, intrinſecus ſinuati et in transuerſam deſinentes aciem, vt dentibus ad ſecandum a natura paratis, conuenit, ſed mirum in modum craſſi, obtuſi et verſus extimum marginem latiori facie oblique truncati *e*).

Ipſum vero caput ſi cum altero iſto quod priore decade deſcriptum eſt, comparaueris, in vniuerſum a lateribus minus compreſſum apparet, iugalia tamen oſſa paulo anguſtiora habet; frontem ſatis quidem fornicatam, attamen maiorem pro ea portione reliqui vultus quae a glabella inde ad menti vsque apicem deſcendit; arcus ſuperciliares perparum prominentes; inferiorem autem

 mandi-

c) Cf. v. c. *Travels by* van Egmont *and* J. Heyman T. II. p. 203. Pococke's *Deſcription of the Eaſt* T. I. pag 227.
Anſam fortaſſis praebuit errori tum imberbis imago in tot mumiarum extimis faciei inuolucris depicta, tum Iſidis larua quam Sycomorini earum ſarcophagi prae ſe ferunt.

d) ll. cc. tum et libro *de generis hum. var. natiua.* ed. 3. pag. 224.

e) Haud ita pridem amiciſſimus Autenrieth Prof. Tubingenſis celeberrimus icone me donauit maxillarum dentatarum mumiae Stutgardienſis, quam ipſe accuratiſſime aeri incidit, et quae dentium priorum coronas, iſtis mei de quo agimus ſpeciminis, adeo ſimillimas exhibet vt ad hoc ipſum delineatas eſſe peierares.

mandibulam aliquanto latiorem et ab antica parte minus altam; mentum denique magis acuminatum.

Quod vero vniuerſum vultum attinet, differt quidem ille ſatis luculenter a genuino iſto Nigritarum, qui Anglis vulgo facies Guineenſis audit, Aethiopici tamen aliquid ſpirat, ita vt propius abſit ab Habeſſinico, qualem curata icon exhibet *f*), proxime autem ab eo quem tot antiquiſſima Aegyptiacae artis monumenta prae ſe ferunt *g*), de quorum charactere phyſiognomico, in aliis magis Aethiopico, in aliis contra Indico, alias diſputaui *h*).

Obiter etiam obſeruaſſe liceat, nares internas ſepto ſuo oſſeo, cum maxima oſſium turbinatorum parte orbas, laminam vero cribratam oſſis ethmoidei pertuſam eſſe, ita vt naſale antrum in ipſum encephali cauum hiet, quod quidem ad amuſſim reſpondet Herodoteae de ratione qua pollinctores Aegyptii cerebrum per nares extraxerint notitiae *i*), male a nuperis quibusdam in dubium vocatae qui contra per foramen magnum occipitale id factum eſſe autumarunt, quod ſane in noſtro ſpecimine neutiquam factum eſſe vertebrae tres colli ſuperiores vinculis ſuis natiuis adhuc inuicem et cum capite arcte copulatae, aperte teſtantur.

Denique et illud notandum, extare in vtroque capitis latere aurium imitamenta ex byſſo bituminato fabrefacta, qualia in altera iſtarum mumiarum quae ante aliquot annos cum Londini verſarer, in muſeo Britannico ſoluere mihi licuit, itidem inueni, antea, quantum noui, nemini obſeruata.

* * *


XXXII.

f) Abbae Gregorii Amharenſis imago ab amico eius, Jobo Ludolpho, *Commentario ad hiſtoriam Aethiopicam* inſerta.

g) Perparum v. c. abludit a vultu ſigni veteris aenei Iſidis, quod cum pluribus aliis idolis Aegyptiacis, munificentia perill. Guldberg muſeum academiae noſtrae ornat. Icon eius exſtat in *Recueil d'Antiquités Egyptiennes* &c *par* J. Wiedewelt tab. III. fig. 2. in qua tamen ipſe vultus minus feliciter expreſſus eſt.

h) In *Philoſoph. Transact.* l. c. p. 191.

i) Acceptiſſima erat qua me nuper dono affecit cl. Weigel, medicus apud Miſnenſes doctiſſimus, pars media facialis capitis mumiae bitumine ſuo adhuc obducta et referta, quod quidem poſtquam piſſaſphaltum caute liquefaciendo eliceram itidem lamina oſſis cribriformis transuerſa cum criſta galli et narium ſepto carere naresque internas in caluariae cauum hiare reperi.




XXXII. veteris Romani militis praetoriani.

XXXII. *VETERIS ROMANI MILITIS PRAETORIANI.*

(— Tab. XXXII. —)

Eminentiſſimus Cardinalis, Stephanus Borgia, ob inſigne quo litteras ipſe colit et in aliis fouet et promouet ſtudium per vniuerſam Europam celebratiſſimus, rariſſimo hocce cranio ſupellectilem meam ditauit. Militis eſt veteris Romani, cuius oſſa inter rudera caſtri praetoriani ſimul cum marmorea tabella reperta ſunt, quam itidem Eminentiſſimus princeps transmiſit, et cui nomen ſpectabilis bellatoris ita inciſum eſt:



Characteres primarii. Forma ipſi in vniuerſum maxime concinna et ſymmetrica, caluaria ſubgloboſa anterius fronte eleganter explanata terminatur, quam ipſam longitudinalis linea leniſſime prominens diſcriminat; glabella cum arcubus ſuperciliaribus modice protuberans. Naſi oſſa nec vt in ſimo depreſſa nec vt in aquilino prominentia, ſed media inter vtrumque ratione decliuia. Iugalia vero neque vt in Aethiopibus protuberantia neque vt in Mongolico ſtemmate vtrinque late extantia ſed ab inferiore et exteriore orbitarum margine leniter deſcendentia. Mandibulae denique cum alueolari ambitu et dentium ſeriebus congruis pulcre rotundatae.

Alia obſeruata. Protuberantia occipitalis externa latiſſima et ingenter eminens. Spina naſalis inſignis, duplici quaſi radice oriunda; interiore ſcil. quae criſtae naſali continua eſt, exteriore vero vtrinque verſus iugum transuerſum cui affigitur os turbinatum inferius, exporrecta. Denique ſingularis obſtipatio meatus auditorii ſiniſtri, exoſtoſibus anguſtati *k*).

* * *

XXXIII.

k) Puderet fere pigeretque annotaſſe, vel in hoc veteris Romani cranio non magis quam in vllo alio humano capite earum ſuturarum veſtigia eſſe

quae

XXXIII. *VETERIS TSCHVDAE.*

(— Tab. XXXIII. —)

In maxime memorabilibus donis quibus ſupellectilem meam anthropologicam generoſo et indefeſſo ſtudio auxit Perilluſtris L. B. de Asch, pono bigam craniorum ex tumulis vetuſtiſſimis erutam, quales paſſim in auſtralioris Sibiriae montibus metalliferis viſuntur et vulgo Tſchudarum (i. e. barbarorum) appellantur *l*). Ad antiquiſſimam aliquarum gentium eos pertinere quae priſcis temporibus metalla illinc eruit, praeter alia cum oſſium tum vtenſilium in iis reperiundorum habitus docet. Illa quidem temporis iniuria maxime fragilia *m*), haec vero plerumque aenea, aliqua lapidea, vix vnquam vero ferrea.


Bina ergo quorum modo memini crania ex iſtiusmodi tumulis, et quidem in ipſo quaſi Aſiae umbilico, Buchtermae, Kolywanicae prouinciae verſus Sinenſis imperii confinia, ad ripas orientales Irtiſchi ſuperioris prope metallifodinas Tſchebuchterminſkoi, eruit cl. Kitschigins, chirurgus Buchtermenſis, tumque cura cl. Schenk, medici Barnaulenſis, ad perill. Aschium ſunt transmiſſa.

Alterum

quae in brutis mammalibus os intermaxillare, ipſis proprium, a maxillaribus extrorſum dirimunt, et a Galeno bona fide homini quoque tribuuntur, niſi in mentem reuocaretur Jac. Sylvii magni ſane ſuo aeuo viri defenſio oſteotomes Galenicae aduerſus Veſalium (oper. p. 138) quem quidem iſtam futuram in humana vtique gena diſquirere iubet, et, ſi minus expreſſa ea appareat aut non tota, Galenum ne accuſet, monet, „*ſed naturae impedimenta quaedam noſtris corporibus in victu et venere* „*intempeſtiua ac immodica vitiis ſuccedentia.*„ — Tam putida ſunt argumenta ad quae delabitur in exculpando Galeno ſuo miſere ſe torquens pertinax ſenex.

l) Pluribus de Tſchudicis tumulis ſpeciatim de Kolywanicis, agentem videſis perill. Pallas in *Reiſe durch verſchiedene Provinzen des Ruſſiſchen Reichs* T. III. p. 608 ſqq.

m) Quinquennium eſt et quod excurrit ex quo Aschii generoſiſſ. rogatu, doctiſſimus pharmaceuta Jo. Sievers in eiusdem prouinciae metalliferis montibus talem tumulum effodi curauit in quo praeter humanum ſceletum oſſa quoque equi et armamenta equaria aenea reperit. Iſtius vero ſceleti cranium adeo fragile erat vt non ipſum ſed icon tantum eius iunctim cum alterutro ſtapede aeneo transmitti potuerit, qui iam inter innumera alia perill. Aschiadae dona in muſeo academiae noſtrae ſeruatur.



XXXIII. veteris Tschudae.

Alterum eorum quod iam exhibeo, iuuenile eſt, id quod praeter ſuturas adhuc integerrimas, proceſſus baſilaris oſſis occipitalis nondum cum ſphenoideo coalitus et dentium coronae nullatenus detritae demonſtrant; habitu vero ſuo ſummam teſtatur vetuſtatem. Tantum enim iam animalis ſui glutinis perdidit, vt, tum leuitate, tum fragilitate qua quidem hinc illinc vel vngue facile radi poteſt, denique et quod linguae admotum eidem adhaereat, multis foſſilibus elephantorum, vrſorum aliorumque animantium mammalium oſſibus comparari poſſit.

Characteres primarii. Vniuerſa forma medium quaſi inter Caucaſiam et Mongolicam tenet. Facies quidem, maxime circa malarum oſſa, latior quam in illa, neutiquam tamen tantopere explanata et extrorſum eminens ac in genuinis Calmuccorum craniis. Caluaria ſubgloboſa. Glabella tumidula. Orbitae rotundiores.

Alia obſeruata. Sutura lambdoidea vaegrandibus oſſiculis quae Wormiana vocant, diſtincta; quale et ſagittalis ſuturae cum coronali confiniis interiacet.

Haec de ternis priſci aeui diuerſiſſimarum orbis plagarum craniis; iam vero de ſeptenis hodiernorum maxime memorabilium populorum.

VARIETATIS PRIMAE SPECIMINA BINA.

XXXIV. *IVDAEI CENTENARII.*

(— Tab. XXXIV. —)

Iudaeam gentem a tot inde ſeculis per vniuerſum pene terrarum orbem diſperſam, vultum nihilominus gentilitium quouis ſub coelo intemeratum et plane characteriſticum ſeruaſſe, vt vulgo notum eſt ita et pridem cauſſarum memorabilis phaenomeni indagatio phyſiologorum et phyſiognomorum ingenia exercuit *n*). Minus vero peruulgatum et magis adhuc mirum eſt, eundem peculiarem characterem vel in ipſis eorum craniis luculenter adhuc obſeruabilem eſſe. Teſtatur hoc quod iam exhibemus ſpecimen, iudaei noſtratis, ſenis centenarii, quod quidem adeo aperte ſtemmatis ſui vultum prae ſe fert, vt toties iam, quanquam in ſcriniis meis tot aliis promiſcue interpoſitum ſit, vel ab indoctis hominibus primo ſtatim intuitu pro iudaico agnitum ſit.

Characteres primarii. Maxime quidem naſus aquilinus et mentum porrectum, tum vero etiam maxillae ſuperiores qua naribus ſubiectae ſunt in acutiorem angulum ſpinae naſali continuum concurrentes.

Alia obſeruata. Suturae non tantum genuinae illae oſſium caluariae planorum, ſed et reliquae quas harmonias vulgo vocant, ad vnum fere omnes ſenio decrepito confuſae et obliteratae.

* * *

XXXV.

n) v. *de generis hum. variat. natiua* L. ed. 3. pag. 169.



XXXIV *Judaei centenarii.*



XXXV. *Perſae.*

XXXV. *PERSAE.*

(— Tab. XXXV. —)

Praeda eſt a Ruſſis militibus ex Perſica expeditione a. 1797 reducibus reportata. Quum enim exercitus ad fl. Kur (Cyrum vet.) prope pagum Rutbari iter faceret, in aediculam ſepulcralem ſ. mauſoleum *o*) incidit quod Perſarum nobilium (quos *Beg* vocant) aliquis dum in viuis eſſet erigi ſibi curauerat. Hoc ipſo vero a militibus funditus euerſo, cranium principis in eo conditi ſeruauit centurio exercitus Generoſ. L. B. Marschall de Bieberstein hiſtoriae naturalis ſtudioſiſſimus, et perilluſtri Aschiadae Petropolin retulit, cuius munificentia iam in meam collectionem tranſiit.

Viri fuiſſe ſenio confecti primo intuitu patet. Satis elegans vero eius conformatio. Calua fere globoſa. Frons pulchre fornicata. Naſus fere aquilinus. Proceſſibus malaribus oſſium maxillarium perexigua altitudo. Mentum bifidum.

Frontis et orbitarum forma prope abeſt ab illa pulcherrimi cranii Georgianae feminae quod tertiam decadem ornat. Nec mirum, cum Perſarum illuſtrium et principum formam connubiis cum Georgianis feminis pulchriorem redditam eſſe, pridem a fidiſſimis et curatiſſimis obſeruatoribus annotatum ſit *p*).

* * *

o) Cf. de iſtis Perſarum aediculis ſepulcralibus Chardin T. IV. pag. 197.

p) Chardin T. III. pag. 45. Sam. G. Gmelin *Reiſe durch Ruſsland* T. III. p. 145. Adeant quorum intereſt genuinos Perſarum vultus conferre, legatorum in aula Rudolphi II. Romanor. Imperatoris verſatorum imagines quas egregius artifex Aegid. Sadeler aeri incidit; aut Muhammedis Jumlae fortiſſimi apud Aurengzebem exercitus ducis natione Perſae iconem in Valentyn's *Ooſt-Indien* T. IV. P. II. i. e. Vol. VI. p. 264. cuius picturam archetypam ab Indo pictore mirando ſane artificio nitidiſſime abſolutam, amicitiae cl. Dr. Bunsen bibliothecae academicae a ſecretis, acceptam refero.

VARIETATIS SECVNDAE SPECIMINA BINA.

XXXVI. *GROENLANDI.*

(— Tab. XXXVI. —)

XXXVII. *FEMINAE GROENLANDICAE.*

(— Tab. XXXVII. —)

Vir illuſtris meique amantiſſimus, Greg. Wad, hiſtoriae naturalis apud Havnienſes Profeſſor meritiſſimus, mediante cl. Eulner, in colonia Danica Godhavn ad occidentale Groenlandiae litus degente, ſupellectilem meam anthropologicam ternis Groenlandorum craniis ditauit, quorum bigam in praeſenti exhibeo. Alterum nempe viri 40 circ. et quod excurrit annorum; alterum feminae quae trigeſimo ſeptimo aetatis anno diem ſupremum obierat. Tertium filii eſt eiusdem mulieris, iuuenis qui 18 circ. annis vixerat, ſimillimum ceteroquin matris cranio. Verum et priora illa ita inuicem congruunt vt apte de vtrisque iunctim agere liceat.


Vniuerſo habitu perquam ſimilia ſunt Eſkimotarum capitibus oſſeis tertia decade illuſtratis *q*). Grandia ſunt, et quidem calvariae oſſa inprimis ampliſſima, verſus occipitium elongata. Pro magnitudinis autem ratione mirum in modum tenuia et leuia. Frons iugo longitudinali paulo eminente diuiſa. Orbitae magnae. Naſi oſſa longa ſed anguſtiſſima.

Foſſa malaris orbitis ſubiecta feminae profundius impreſſa.


Mentum viro exporrectum.

Reſpon-

q) Singularis plane habitus quo quina iſta Americae maxime borealis hominum capita oſſea inuicem conueniunt, maxime ſpectantium oculos ferit, quando iuxta ſe poſita a vertice viſuntur; cuius crania comparandi rationis vtilitatem pluribus expoſui l. *de generis hum. var. natiua* p. 204. quem tamen locum ita emendare oportet: "crania (*remotis maxillis* „*inferioribus*) oſſibus ſuis iugalibus verſus eandem lineam horizontalem „directis eidem tabulae vna ſerie impoſita" &c.



XXXVI. Groenlandi.



XXXVII. Feminae Groenlandicae.

Reſpondent quae de magnitudine horum craniorum notaui, relationibus autoptarum qui Groenlandiam inuiſerunt et incolas eius capitones eſſe aſſerunt *r*). Facies autem conueniunt cum imaginibus feminarum iſtius gentis quas accuratiſſimus Olearius ad viuum fieri fecit *ſ*). Hic quoque Groenlandos ſuos Samoiedis quos viderat ſimiles eſſe dicit *t*); Edwardsius contra Indos Americae borealis ſibi viſos cum Samoiedis vultu comparat *u*). Vtrumque reſpondet iis quae ſuperiore decade de Eſkimotarum Groenlandis adeo affinium craniis dixi, perfecte ea medium tenere locum inter Mongolicae varietatis crania haſtenus a me deſcripta et Americanae *x*).

* * *

r) v.c. Cranz pag. 179.

Praua autem interpretatione contigit vt hi macrocephali boreales a quibusdam ſcriptoribus per errorem pro giganteae ſtaturae hominibus haberentur. v.c. a Sauvagesio *noſologiae methodicae* T. I. p. 498. ed. Amſt. 1763. 8. et a Fr. Ruysch in *Catalogus van het Kabinet van anatomiſche Voorwerpen.* Amſt. 1731. 8. p. 109.

ſ) v. Ej. *Moſcowitiſche und Perſianiſche Reiſebeſchreibung*. ed. 3. 1663. p. 172.

t) l. c. pag. 160. 169.

u) *Natural hiſtory of Birds.* T. II. pag. 118.

x) Mentionem quoque illic inieci binarum iconum Eſkimotarum, quarum copiam mihi fecerat perill. Banks. Idem vero vir generoſus meique amantiſſimus nuper adhuc tertia imagine alius ex oris Labradoricis feminae me donauit, a celebri artifice Jo. Ruſſell Londini ad viuum et naturali magnitudine oleatis coloribus depictae; quae quidem pictura alteri iſtorum craniorum adeo ad amuſſim reſpondet, vt hoc ipſum iſtius feminae caluariam fuiſſe ſuſpicatus eſſem, niſi hanc, (cui nomen Mikkak et cuius in hiſtoria miſſionis fratrum Moravicorum inter Eſkimotas ſaepius mentio fit,) anno demum 1795, diu poſtquam cranium iſtud ad manus meas peruenerat, diem ſuum obiiſſe, ex actis fratrum iſtorum didiciſſem.

VARIETATIS QVARTAE SPECIMEN.

XXXVIII. *AMERICANI ILLINOICI.*

(— Tab. XXXVIII. —)

Donum cl. Barton, M. D. et Profeſſoris in litteraria apud Penſyluanos vniuerſitate. Erutum eſt, vt me docuit vir humaniſſimus, ex tumulo Indico prope Cayhokiam ad orientale litus fl. Miſſiſipi (circa 40^mum^ gradum lat. boreal.).

Cum in vniuerſum Americana generis humani varietas reſpectu vultus et craniorum formae tranſitum quaſi faciat a Caucaſia ad Mongolicam *y*), facile intelligitur alia eius ſpecimina propius ad hanc, alia contra ad illam accedere. Et ſic Illinoicum de quo agimus caput, minus a Caucaſia quam a Mongolica abeſſe, primo intuitu patet. Singularem vero verticis conformationem, qua inde ab vtriusque lateris ſemicircularibus planis, fere ad perpendiculum ſitis, tecti aut carinae inuerſae in modum aſcendat, barbaris Miſſiſipi accolis artificiali et violenta capitis infantilis preſſione contrahi, autoptae afferunt *z*). Orbitae vero huic cranio valde profundae curatis imaginibus Indorum Americae borealis reſpondent, quae oculis altius inter orbitas reconditis notabiles ſunt *a*).


* * *

y) Genuinam huiusmodi tranſitus rationem et ſenſum expoſui in *Handbuch der Naturgeſchichte.* ed. 6. pag. 64. not. *).

z) Cf. *Relation de la Louiſianne ou Miſſiſipi;* in *Recueil des voyages au Nord.* T. V. pag. 14. ed. 3. 1734.

a) Videſis v. c. egregiam Baſirii tabulam, decade prima laudatam, ſeptenos huiusmodi Indorum duces exhibentem.

VARIE-



XXXVIII. Americani Illinoici.



XXXIX. Javani.



XL. Novo-Hollandi 2di.

VARIETATIS QVINTAE SPECIMINA BINA.

XXXIX. *IAVANI.*

(— Tab. XXXIX. —)

Acceptum refero egregium hocce ſpecimen liberalitati viri amiciſſimi cl. Forsten, Profeſſoris medicinae in Academia Harderovicenſi celeberrimi.

Characteres primarii. Caluaria oblonga, minus tamen quam in aethiopica hominum varietate a lateribus anguſtata. Frons quoque minus fornicata, et facies latior. Orbitae parum amplae, et margines earum inferiores aeque ac oſſium zygomaticorum facies anteriores rotundatae. Glabella planior cum oſſibus naſi depreſſiusculis quaſi confluens. Narium apertura fere ouata. Maxillae prominentes. Choana anguſtiſſima.

Alia obſeruata. Dentium coronae praeter extremam qua manditur ſuperficiem quaſi fuſco pigmento obductae, quod quidem ſingulari cupedio, quo aſiani Euronoto obuerſi inſatiabiliter delectantur, foliis nempe piperis betle ſimul cum nucleis Arecae catechu et calce manducatis, tribuendum *b*).

* * *

XL. *NOVO - HOLLANDI SECVNDI.*

(— Tab. XL. —)

Perilluſtris Banksii munificentiae qua collectionem meam iam tot tantisque cimeliis ditauit, et hoc memorabile cranium barbari nouae Cambriae incolae, aeque ac prius illud quod tertia decas exhibet, debeo.

Adeo

b) v. perill. Banks in Hawkesworthi collectione periplorum iubente Auguſtiſſimo Georgio III. peractorum. Vol. III. pag. 286. 347 ſq. ed. Londinenſ. ſecundae 1773.

Adeo vero quod ad characteres primarios illic enumeratos, iſti vt ouum ouo ſimillimum eſt, vt quidem quid vltro de iis monere poſſim non ſit quod habeam. Nihilominus autem huic decadi inſerui, quo luculentius monſtret peculiarem quo inuicem conſpirant habitum, non ſinguli aduentitium, ſed vere gentilitium et natiuum eſſe.

Oſſa vnguis quae priori iſti ſpecimini deerant, in hoc quidem adſunt, attamen valde anguſta.

Alueolus dentis inciſiui medii dextri pridem euulſi, itidem vt in priore illo clauſus, quo quidem et hoc virile cranium eſſe docemur, ſiquidem pueris iſtius Auſtraliae regionis quando adoleverunt, antequam armis vti ipſis conceditur, dens ille ſingularibus ſub ceremoniis et mimicis ludis euellitur, nuper a cl. Collins curate deſcriptis et iconibus illuſtratis *c*).

Idem et egregio ſuo operi imaginem barbari Nouo-Hollandi ad viuum delineatam, inſeruit, quae quidem cum vtroque quod exhibuimus gentis iſtius cranio quam perfectiſſime congruit.

c) In Ej. *Account of the Engliſh Colony in New-South Wales* pag. 563 ſqq.

JO. FRID. BLUMENBACHII

PROF. MED. ORDIN. SOCIET. REG. SCIENT. GOETTING. LONDINENS. ET SENENS. ACAD. AMERICANAE ART. ET SCIENT. BOSTON. ITALICAE PISANAE, FLORENTINAE, IMPERIAL. NATVRAE SCRVTATOR. MOSCOVIENS. SOCIET. PHILOS. PHILADELPHICAE, ROTTERODAMENS. HARLEMENS. MEDICAE PARISINAE, MONSPELIENS. LONDINENS. HAVNIENSIS, TIGVRINAE, PARISINAE PHILOMATHICAE, PHILOTECHNICAE, MEDICAE AEMVLATIONIS ET GALVANICAE, VETERINARIAE HAVNIENSIS, NATVRAE CVRIOSOR. BEROLINENS. LINNEANAE LONDINENSIS, ALIARVMQVE PLVRIVM SODALIS, INSTITVTI IMPERIALIS FRANCICI CORRESP.

DECAS QVINTA

COLLECTIONIS SVAE

CRANIORVM DIVERSARVM GENTIVM

ILLVSTRATA.

GOETTINGAE

APVD HENRICVM DIETERICH.

MDCCCVIII.

Quando primum animum ad parandam ex diuerſis per terrarum orbem populis craniorum humanorum collectionem appuli, variam quidem eiusmodi congeriei vtilitatem ad illuſtrandam generis humani naturalem hiſtoriam perſpexi; neque defuturas mihi occaſiones ſperaui ex principibus generis humani varietatibus vnum alterumue ſpecimen acquirendi. Verum vti iſtam ſpem ſucceſſus quem expertus ſum vltra expectationem ſuperauit, ita et vtilitatem ex ſtudio huius ſupellectilis deriuandam, longe vberiorem et magis multifariam deprehendi, quam quidem in anteceſſum putaram.

Vt enim pauca tantum e multis hic memorare liceat, inſeruiit mihi iſta collectio

1. ad quosdam characteres diſtinctiuos humano generi proprios conſtituendos, quo quidem inprimis dentium inciſorum inferiorum ſitum erectum, et quod huic poſitioni reſpondet, mentum prominulum, refero.

2. ad pulcherrimam et quaſi idealem capitis oſſei formam normalem demonſtrandam, cui ſcopo v. c. eximium feminae Georgianae cranium (— Dec. III. tab. 21. —) accommodatum eſt.

3. ad generis humani varietates quotquot hactenus innotuerunt, vni eidemque ſpeciei vindicandas, quae per varios gradus inter binae vniuerſae ſcalae extrema, Aethiopicam ſcilicet et Mongolicam formam, infinitis modis ludit.

4. ab altera vero parte et ad confirmandam diuiſionem generis humani in quinas varietates, Caucaſiam inquam, Mongolicam, Aethiopicam, Americanam et Malaicam.

5. ad explicandam formam mixtam quae nempe populis ex diuerſarum varietatum connubio ortis propria eſt, vt vc. Caſaccis (— Dec. I. tab 4. —), Kirgiſis (— Dec II. tab. 13. —) etc.

6. ad diluendas opiniones de putatitia vultus ſimilitudine inter diſſitas quasdam gentes, quas ideo inter ſe affines et cognatas crediderunt, vt veterum Aegyptiorum cum Sinenſibus, aut horum ipſorum cum Hottentottis.

7. vtique vero ad illuſtrandum ortum quorundam populorum qui capitis conformatione euidenter cum aliis quibusdam conueniunt, vt priſci Guanchi inſularum fortunatarum cum Libyco ſtemmate veterum Aegyptiorum (— Dec. V. tab. 42. —) aut Iacutae cum aliis Mongolis (— Dec. II. tab. 15. —)

8. ad explicandas quasdam phyſiologicas diuerſarum nationum proprietates, vc. inſignem odoratum Aethiopum et Indorum Americae borealis (— Dec. I. tab. 9. —)

Verum taceo numeroſas alias obſeruationes quibus quadragintae caluariae quas ex ſupellectile mea ſelectas, quaternis decadibus hactenus ſelegeram, anſam praebuerunt, et his tanquam complementum, quintam adhuc decadem ſubiungo craniorum maxime memorabilium et rariſſimorum; quibus tandem vnicas maioris momenti lacunas in iſta collectione (quae dum haec ſcribo 134 continet ſpecimina), feliciter expletas eſſe dicere auſim.

VARIE-



XLI Armeni.

VARIETATIS PRIMAE
SPECIMINA BINA.

XLI. Armeni.

(— Tab. XLI. —)

Equidem e Caucaſia varietate, vtpote quam pro primigenia habere cum phyſiologica tum hiſtorica argumenta ſuadent, primum prodeat caput oſſeum Armeni, cuius gentem ad antiquiſſimas omnium referre, imo vero quaſi pro aboriginibus humani generis habere licet, ſiquidem ex Armeniae montoſis iugis poſt noachicum diluuium orbis terraquei incolas denuo deriuatos accepimus.

Debeo hoc cranium amicitiae Cl. Hacquet, anatomes profeſſoris in academia Lembergenſi.

Viri eſt, 67 annorum, dum in viuis eſſet, ipſi Hacqueto probe noti.

Habitu ſuo proxime ab eo abeſt quem iudaea gens prae ſe fert, maxime ſi naſum aduncum et mentum prominulum ſpectes, vtpote in quibus ſimillimum eſt caluariae iudaei centenarii quod antea exhibui (— Dec. IV. tab. 34. —). Et in vniuerſum luculentam analogiam quae gentilitium vtriusque nationis vultum intercedit, tum mihi ipſi in curiis mercatorum videre licuit, quas praeſertim Amſtelodami et Londini ea cauſſa ſtudioſe frequentaui, vt diuerſarum gentium natiuos characteres inuicem conferrem; tum vero et a curatiſſimis et quaſi graphicis Armeniorum deſcriptoribus annotatum eſt, e quorum numero ipſum Hacquetum in hiſtoria itineris per Daciae et Sarmatiae carpaticos montes *a*), et Cl. Georgi in claſſica de gentibus quae vniuerſum Ruſſicum imperium inhabitant opere *b*), nominaſſe ſufficiat.


A 3 Et

a) *Reiſen durch die Daciſchen und Sarmatiſchen Karpathen* T. II. p. 208.
b) *Beſchreibung aller Nationen des Ruſſiſchen Reichs.* p. 451.

Et quidem ille, qui ipſe magnam Europae partem inuiſit, expreſſe memorat, et hoc Armeniis cum Iudaeis eſſe commune, quod gentilitium iſtum vultum vel in remotiſſimis regionibus, etiamſi eas per longam iam generationum ſeriem inhabitarint, immutatum tamen ſeruent; imo et infantes eorum a patre Armenio ex matre alius gentis natos, nihilominus paternae ſtirpis phyſiognomiam tantum non plane intemeratam prae ſe ferre.

Characteres primarii. Naſi oſſa valde exporrecta, a lateribus compreſſa, et acuto dorſali iugo decurrentia. Frons reclinata. Glabella prominens, et tubera ſinuum frontalium turgida. Maxilla vtraque anguſta.

Alia obſeruata. Caluaria tenuis, proportione leuis. Meatus auditorii externi anguſti.





XLII veteris Guanchi Teneriſenſis.

XLII. Guanchi Teneriffensis.

(— Tab. XLII. —)

Inter cimelia muſei mei anthropologici refero integram mumiam veteris *Guanchi c)*, pretioſum donum perill. Banksii cuius munificentim toties iam expertus ſum.

Quantum ex vniuerſi corporis habitu, thoracis ad ilia relatione, clauiculis etc. coniicere licet, muliebre eſt cadauer, cum ex antro ſepulcrali ſubterraneo Teneriffae Londinum afferebatur, pro more priſcarum iſtarum in inſulis fortunatis aboriginum, totum quantum coriis caprinis, quae iam ſoluta ſeruo, curioſe inſutum *d*).

Ipſum corpus plane inodorum mirum in modum exſiccatum *e*), ita vt oſſibus muſculi firmiter adhaereant, integumentis quae vocantur communibus ſtricte obtecti, ventribus vero encephali, thoracis et abdominis viſcera adhuc contineantur.

Omnia vero adeo exſucca et leuia vt totum cadauer non niſi ſeptem libras cum dimidia pondere aequet, cum tamen vel ſolum ſceleton excarne feminae eiusdem ſtaturae, et rite ceteroquin ſiccatum at minimum denas libras pendat.

Caput mumiae quod hic ſolum exhibemus, faciali parte latius eſt, non quidem vt in mongolica varietate iugalibus oſſibus fere in eodem horizontali plano vtrinque extantibus, attamen vt in eo vulgari veterum Aegyptiorum vultu quem alias a binis aliis quem in iſtius gentis monumentis videre licet diſtinximus *f*), quorum

c) Verbum *Guan* lingua iſtius gentis hominem denotat. v. Jos. de Viera (y Clavijo) *Noticias de las Islas de Canaria.* T. I. p. 131.

d) Cf. Edm. Scory in Purchas's *Pilgrimage* p. 787.

e) Modum quo ſacerdotes Guanchorum funera haec parabant, curate deſcribunt Abreu de Galindo in Glas's *Hiſtory of the Canary Islands* p. 151. et Viera l. c. p. 175.

f) In *philoſophical Transactions for* 1794. P. I. p. 191. Cf. et Paulini a S. Bartholomaeo *mumiograph. muſei Obiciani* p. 25.

quorum quidem alter propius ad Aethiopicum alter ad Indicum accedit. Vertex depreſſior; occiput tuberoſum; frons ſpatioſa; limbus orbitae ſuperciliaris ad proceſſum orbitalem externum ſ. malarem valde protuberans; inferior faciei pars a naribus ad mentum breuior; maxillae inferioris curuatura magis arcuata quam elliptica, mentumque rotundatum; coronae vero dentium primorum inferiorum (nam ſuperiores pridem ceciderant) neutiquam ſcalpriformes ad demordendum aptae, verum obtuſae, fere cylindricae, extima ſuperficie plana detrita, verbo tales quales pridem ab aliis et a me ipſo (— Dec. I. ad tab. 1. et Dec. IV. ad tab. 31. —) in variis mumiis aegyptiacis annotatae ſunt. Verum his conformationis ſingularis characteribus alia quoque accedunt momenta quibus priſci inſularum fortunatorum incolae etſi tota fere Africae borealis latitudine a veteribus Aegyptiis diuiſi tamen cum ipſis conueniunt, quo praeſertim tum ſingularis defunctos condiendi ritus pertinet, itidem ſacerdotibus pollinctoribus commiſſus, vt et lineae coralliorum quibus mumiae Guanchicae aeque ac aegypticae paſſim ornatae reperiuntur; tum vero et linguarum congruentia, ſiquidem Cl. Marsden ex vocabulario Tuarikorum Aegypto vicinorum, quod deſideratiſſimus Hornemann noſter apud eos collegerat, affinitatem linguae eorum cum ea Numidarum ſeu Berberorum demonſtrauit g), quam ipſam iterum cum Guanchica Canarienſium inſularum conuenire notum eſt. Ex quo triplici conſenſione vultus inquam gentilitii, linguarum et rituum peculiarium, communem tum alterius Aegyptiorum ſtemmatis, tum Guanchorum a Libycis ſ. Numidicis aboriginibus ortum, aut ſaltem cognationem eorum, probabiliter coniectare licebit.

g) v. Hornemann's *Tagebuch ſeiner Reiſe von Cairo nach Murzuk* p. 235.

VARIE-



XLIII Feminae Lapponicae.

VARIETATIS SECVNDAE SPECIMINA BINA.

XLIII. Lapponis.

(— Tab. XLIII. —)

Cum Perill. Thunberg a populari quodam docto aliquandiu nobiscum Goettingae verſato acceperat diu iam ſed hactenus incaſſum me deſiderare Lapponis cranium, pro ſingulari qua excellit tum humanitate tum naturalis hiſtoriae cultores iuuandi ardore, non deſtitit donec ope amici qui inter Lappones ſacerdotis munere fungitur, bigam iſtius gentis craniorum, alterum maris alterum feminae acquireret, mihique beneuole transmitteret. Vtrumque ex ſepulcris templi hodie derelicti erutum eſt, in quo ante 24 et quod excurrit annos plures Lappones baptiſati inhumati erant, quorum ſceleta iam ſimul cum veſtimentis ſuis ex renonum pellibus confectis, reſtabant. Quoduis eorum vt alteri ſimillimum ita et ad amuſſim tam cum graphicis claſſicorum de Lapponibus auctorum deſcriptionibus *h*) conuenit, quam cum fidiſſimis quae paſſim extant eorum iconibus *i*), vt et cum vultu virginis Lapponicae quam ante decennium in comitatu nobilis cuiusdam Diuionenſis ex boreali iſta regione reducis et me viſitantis videre mihi exoptata contigit occaſio.

Characteres primarii. Cranium proportione ſtaturae magnum. Habitus in totum qualis mongolicae varietati ſollemnis eſt. Caluaria fere globoſa. Oſſa iugalia extrorſum eminentia. Foſſa malaris plana. Frons lata. Mentum prominulum acuminatum.

Alia obſeruata. Palati fornix complanatus. Fiſſurae orbitariae inferiores ingentes. Foſſae iugulares vltra modum diuerſae magnitudinis; dextra ampliſſima.

h) Praeter notiſſimos de Lapponibus auctores, Schefferum, Regnard, Högström al. nominaſſe liceat opuſculum ab ipſo Lappone editum ſ. t. *kurze Lappländiſche Beſchreibung*, *von* Nic. Öhrs, *gebohrnem* Lappländer *und der freyen Künſte Befliſsnen.* Hannov. 1704. 8. De auctore qui magnam Europae partem peragrauerat et Regibus Carolo XI. Sueciae, Ludovico XIV. Galliae, Georgio I. magnae Britanniae et Imperatori Ruſſorum Petro innotuerat, deque admiranda facilitate qua linguas exoticas didicit, cf. Weberi *verändertes Rußland* et Schoberi *memorabilia Ruſſico Aſiatica* in Mülleri *Sammlung Ruſſiſcher Geſchichte* T. VII. p. 100.

i) v. c. in Matth. Consett's *Tour through Sweden.* Lond. 1789. 4.

XLIV. Sinenſis.

(— Tab. XLIV. —)

Cl. Jassoy M. D. Batauiae in India orientali phyſicus et noſocomii medicus primarius, quondam auditor meus dilectiſſimus, opportunitate vſus quam grauia ſua munera ipſi praebent, mei memor maxime memorabilia diuerſarum gentium Indicarum crania non ſolum collegit ſed et nitide parauit, mihique iunctim cum curata notitia quae ad hiſtoriam cuiusuis attinet, eaque tum ex diariis noſocomii, tum ſi hominum fuerant legali quod vocant ſectione obductorum ex actis iudicialibus excerpta mihi transmiſit.


Eſt et inter ea quod hic exhibetur caput Sinenſis cui nomen fuerat Tan ſayko, qui a. 1803. aetatis anno trigeſimo aut quod excurrit in noſocomio Batauiae lethali capitis vulnere obierat *k*).

In vniuerſum quidem habitu ſuo propius a Mongolica varietate quam ab vlla ceterarum abeſt, haud parum tamen a gemino Calmuccorum vultu differt quem quaſi pro normali typo iſtius ſtemmatis habere licet *l*). Longe maior etiam inter Sinenſes quam apud Calmuccos vultus varietas, quod mihi ipſi obſeruare contigit, cum Amſtelodami in publico diuerſorio (Belg. *het Gaſthuis*)

21 Si-

k) Adiecit quoque cl. Jassoy ipſi cranio integrum nodum capillorum cadaveris, qui ſi cum aliis compararentur, quales ex maxime memorabilibus per orbem terraqueum gentibus mihi comparaui, praeter nigredinem rectitudine et maiori craſſitie inſignes ſunt. cf. Staunton's *account of an Embaſſy to the Emperor of* China T. II. p. 367. "*Their hair ſo thick and ſtrong, that, comparatively, they liken the hair of Europeans to the pile or fur of the ſmaller animals.*"

l) Hinc et quod iam alias monui, in quauis quinarum varietatum principalium generis humani, vnam alteramue eius gentem adhuc a reliquis diſtinguere et quodammodo ſubdiuidere licet; vt a Caucaſia, *Hindoſtanicam;* a Mongolica, *Sinenſem;* ab Aethiopica, *Hottentotticam;* ab Americana boreali, *auſtralem;* denique a fuſco Malaicae varietatis ſtemmate, nigricans *Papuenſe* etc.



XLIV *Sinensis*.

21 Sinenſes nautas curatius contemplare data fuerit exoptata occaſio *m*).

Oſſeum de quo hic agitur caput praeter alia dorſo naſi profundius concauo praeſertim autem ſingulari fere ſubgloboſa rotunditate partis alueolaris maxillae ſuperioris notabile eſt, cui et arcuata curuatura dentium anteriorum ſuperiorum, praeſertim quoad radices eorum, reſpondet. Conuenit cum hac ſtructura quod Duhalde de peculiari dentium ſuperiorum apud Sinenſes directione memorat *n*), cui quidem Osbeck tribuit quod ipſi quaedam verba ſingulari et aliis gentibus inimitabili ratione pronuncient *o*).

Ceteroquin egregium hocce cranium perfectiſſime congruit cum praeſtantiſſima icone nautae Sinenſis qui aliquamdiu Havniae degens a ſummo imaginum pictore Jens Juel artis graphicae profeſſore Regio, pictura olearia maſcule exhibitum eſt, quod iam Cl. Scheel, medici apud Havnienſes celeberrimi fauore, muſeum meum ornat.

m) Ex ipſa hac quam innuimus vultus Sinenſium varietate explicare licebit diuerſas auctorum in deſcribendis eorum craniis obſeruationes, ſicubi v. c. Camperus ea Vtahitenſibus ſimillima eſſe dicat, cum contra illud de quo hic agitur ab Vtahitenſi quod antea exhibuimus (— Dec. III. tab. 26. —) mirum quantum diſcrepet; aut ſi Daubentonius bina Sinenſium capita oſſea in muſeo Pariſino nullo notabili charactere ab iſtis ſuae gentis differre ſcribat.

Quod vero Linneus in ſyſtemate naturae Sinenſes macrocephalos capite conico vocet et cum Alpium et Patagoniae incolis ad *monſtroſas* humani generis varietates releget, ni fallor vnice de ſacerdotibus eorum mendicantibus intelligendum quibus Nieuhofius capita violentis et diu repetitis artificiis monſtroſe deformari, quondam contenderat. v. Nic. Melchis. Thevenot *Rélations de divers voyages etc.* T. III. p. 67. fig. 11.

n) *Deſcription de la Chine.* T. II. p. 275. ed. Haganae 1736. 4.

o) *Reiſe nach Oſtindien und China* p. 226.

VARIETATIS TERTIAE
S P E C I M E N.

XLV. Bosjesmanni Hottentottae.

(— Tab. XLV. —)

Cl. Lichtenstein M. D. Helmſtadienſis iam feliciter redux ex itinere Africano cuius vberiorem notitiam poſt praeſtantiſſima ſpecimina in anteceſſum ab eo edita auide expectant omnes quorum hiſtoriae naturalis ac ethnologiae exoticae incrementum intereſt, praeter innumera alia quae ex triplici naturae regno per magnum Africae auſtralis tractum ab ipſo tanto ſolidioris doctrinae penu inſtructo, peragratum collegit, etiam quatuor crania memorabilis iſtius Hottentottarum ſtemmatis retulit quod inde a Sec. XVII. medio, hominum ſiluaticorum (Belg. Bosjesmannen) vulgari etſi minus congruo nomine innotuit *p*). Quaterna haec capita adeo perfecte inuicem conuenire compertum habemus *q*), vt difficile fuerit tantam ſimilitudinem inter bina Europaeorum crania reperire. Integerrimo eorum vir humaniſſimus ſupellectilem meam ditauit, cui eo maius pretium accedit quod et facialem cutim cum ſubiectis muſculis adiunxerit, quam a recenti cadauere artificioſe ſoluit, et apto liquore ita ſeruauit, vt iam eam ſiue ipſi cranio ſiue gypſeo eiusdem ectypo ſuperinducere adeoque ipſam barbari iſtius imaginem viuidiſſimam repraeſentare

p) "*The Bosjesmans ſeem to be the true aborigines of the (Hottentot —) country unmixed with any other tribes of people.*" Jo. Barrow in *Travels into the interior of* Southern Africa T. I. p. 158. cf. quoque Kicherer's *Narrative of his miſſion to the* Boſchémen in *Transactions of the Miſſionary Society* vol. II N. I. p. 6. Sane longe a vero aberrare qui vulgo Buſchmannos pro fugitiuis Hottentottis habuere, pluribus demonſtrabit cl. Lichtenstein in ipſo quod iam de itinere ſuo ad prelum parat opere. Cauendum interim ne forte Buſchmannos cum Beetjuanis ſ. Huswannis confundas vtpote quae bina ſtemmata vere vt Hottentottae proprie ſic dicti a Caffris differunt, ſiquidem Beetjuanos ab his, Hottentottas vero a Buſchmannis ortum duxiſſe veriſimillimum eſt.

q) v Gottl. E. Schulze *über* Gall's *Entdeckungen die Organe des Gehirns betreffend* p. 26. vbi et V. Cl. curatam horum craniorum vt et vberiorem de Buſchmannis notitiam dat a Lichtensteinio ipſi ſuppeditatam.



XLV *Boſjesmanni Hottentottæ.*

ſentare liceat. Viri eſt ſexagenarii, ex ea Africae auſtralis regione quae fluuium Aurantium (Belg. *Oranje-revier*) et Sacci (*Zack-revier*) interiacet, qui quidem poſtquam per triginta annos rapina et praedatione colonis Batauis praeſertim in diſtrictibus Roggeveld et Nieuweveld formidabilis fuerat, demum m. Maio 1805. comprehenſus eodem anno decurrente in carcere obiit.

Characteres primarii. Cranium anguſtum, ad latera compreſſum, minus tamen quam in Aethiopibus genuinis. Oſſium caluariae proprie ſic dictorum vniuerſa compages ſ. receptaculum encephali pro portione mire depreſſum, retrorſum in occipite valde elongatum. Tubera frontalia prominula. Frons ipſa fere ad perpendiculum deſcendens. Naſi oſſa peranguſta, ſimul autem cum proceſſuum naſalium in oſſibus maxillaribus facie antica, fere in eodem plano horizontali poſita, ita vt vniuerſa area naſalis orbitas diſcriminans a glabella vsque ad narium aperturam decliuis et late explanata descendat. Nares internae anguſtae. Oſſa turbinata exigua. Proceſſus malaris oſſium maxillarium deorſum elongatus et quaſi vncinatus. Mentum prominulum, mire anguſtum et peracutum. Coronae dentium, praeſertim inciſorum ſuperiorum fere in totum detritae *r*).

Alia obſeruata. Oſſa caluariae ſuperiora, verticis inquam, frontis, et pars ſquamoſa temporalium tenuiſſima, fere translucida. Oſſicula naſi inuicem concreta. Pars malaris et ſphenoidea orbitae ſiniſtrae vere abſorbta, ita vt paries exterior foraminis oculorum magno hiatu quaſi pertuſus appareat.

Vniuerſo ceteroquin habitu memorabile hocce cranium perfecte conuenit cum binis Boſchmanni viri eiusque vxoris ad viuum in diſtricto Roggeveld delineatis imaginibus quas Perill. Banks ex magno ſuo periplo reportauit, mecumque cum tot aliis exoticarum gentium curatiſſimis picturis humaniſſime communicauit.

r) v. Barrow's *voyage to* Cochinchina p. 282. "*It was remarked that the oldeſt* Bosjesmans *they ſaw, had not loſt a ſimple tooth, but that in many inſtances they were worn down in a remarkable manner to mere ſtumps.*"

VARIETATIS QVARTAE SPECIMINA TERNA.

XLVI. Atvri Orinoccani.

(— Tab. XLVI. —)

Alex. de Humboldt, quem et meis quondam praelectionibus interfuiſſe peraſſiduum et maximae ſpei auditorem gloriari mihi liceat, veteris amici vel in extremo nouo orbe quem itineribus ſuis impenſe illuſtrauit memor, praeter alia quibus apparatum meum rerum naturalium adauxit, inprimis acceptiſſimo dono cranii de quo hic agitur me affecit, cuius hiſtoriam ex ipſis viri perilluſtris litteris ſubnectere liceat.

Extitit quondam in ea nouae Andaluſiae interiore et parum cognita parte quae altum Orinocum ad ingentes Aturi et Maypuri cataractas *s*) adiacet, populus Aturorum hodie extinctus, qui defunctorum cadauera magno numero et partim ſingulari modo curata, in cryptis ſubterraneis ſepeliebat, quibus rupes graniticae in ipſis iſtis cataractis eminentes, excauatae ſunt. Vna harum ſpeluncarum, Atarnipenſis nempe, quam indefeſſus ille peregrinator non ſine periculo inuiſit, ad ſexcenta continebat cadauera, quorum quoduis corbe ſeu ſacco inuolutum erat, ita tamen vt aliis horum inuolucrorum nuda oſſa ſiue candida ſiue Bixae orellanae rubore tincta, aliis vero eadem mumiarum in modum bitumine et plantarum foliis permixta continerentur; imo vero et praeterea ſarcophagi ex argilla non cocta parati et crocodilorum figuris picti adſtarent 4 pedes longi, 3 lati et toti quanti oſſibus repleti.

Cranium quod iam generoſi viri cura ex iſto ſepulcrali antiquiſſimo receſſu in meum muſeum tranſiit eum habitum prae ſe fert quem ipſe iam in egregia diſſertatione de Americae incolis aboriginibus deſcripſit *t*). Propius ille a Mongolico quam ab Aethio-

s) Locus harum cauernarum ſepulcralium notatur ſub nomine *Raudal di Atures* in mappa geographica apud Ant. Caulin, *hiſtoria corographica natural y evangelica de la* nueva Andalucia. Madr. 1779. fol. Sitae ſunt ſub 5° 39′ lat. boreal. et 51° longit. occid. inde ab inſ. Ferri.

t) In cl. Biester *neue Berliner Monatsſchr.* T. XV. p. 197.



XLVI veteris Aturi.



XLVII *Braſiliani*.

Aethiopico abeſt. Zygomata quidem non adeo quam in illis complanata et extrorſum eminentia, attamen latiora quam in Aethiopibus, a quibus praeterea et caluariae et mandibulae inferioris latitudine differt. Frons valde reclinata elatiore linea per medium eius decurrente dirimitur. Narium apertura cum vniuerſa olfactus officina ampliſſima; orbitae contra pro portione anguſtiores. Textura totius caluariae mire compacta et perdura, in locis durante longiſſima vectura attritu politis marmori aemula.

XLVII. Brasiliani.

(— Tab. XLVII. —)

Cum ante aliquot annos illuſtriſſimus Araujo Luſitaniae ſtatus miniſter, tam ſummis in rempublicam meritis quam omnigena eruditione aeque clariſſimus, me inuiſeret, egoque obiter memoraſſem poſt repetita et varia, aſt hactenus incaſſa conamina ſpem denique me deficere obtinenendorum ex America Luſitanica craniorum indigenorum. Ille contra ſe omnem nauaturum operam promiſit qua mihi vnum alterumue maxime genuinum Indi Braſiliani caput oſſeum compararet. Hincque Vlyſſiponam reuerſus curauit vt, nutu ipſius Supremi Regiminis Regii, Gubernium Parae Braſileenſe iuberetur deſiderata barbarorum indigenorum crania transmittere. Quod quidem ita exſecutum eſt vt non ſolum tam virile quam femineum iſtius gentis cranium adueheretur, verum et tanquam rariſſimum cimelium additum eſſet integrum Indi Braſilienſis caput integerrimum admiranda plane et fere incomprehenſibili ratione mumiae ad inſtar conditum et omni ornatu quem defunctus pro gentis ſuae more quondam geſſerat adhuc inſtructum. Quae omnia ſingulari cura perilluſtris de Mello Franco medici apud Vlyſſiponenſes aulici feliciſſimi, qui quidem ipſe in Braſilia natus diu illinc degerat, ad manus meas peruenerunt.

Miro artificio praeparatum caput non quidem a totius cuiusdam corporis medicato funere ſeparatum eſt, ſed ſtatim poſt mortem defuncti abſciſſum fuiſſe oportet, ſiquidem cutis quae mandibulae

inferiora

inferiora tegit et colli anticae parti praefixa erat, aequaliter tenſa et fere vsque ad foramen magnum occipitale retracta et absque vlla ſutura ſolis bituminibus arcte reliquo capiti inferiori quaſi agglutinata eſt; quod quidem non niſi in recenti cadauere fieri potuiſſe vel primo intuitu apparet *u*).

Cutis ipſiſſimum adhuc ex cupreo fuliginoſum colorem prae ſe fert qui Braſilianis natiuus eſt.

Capillamentum circum verticem plane abraſum, in ipſo vertice ſuperſtes quidem ſed breue, pone aures longius, in vniuerſum nigerrimum rigidiusculum *x*).

Barba tenuis in labro ſuperiori et ſparſim in mento *y*).

Orbitae et os duro bitumine repleta. Clauſas palpebras ſignificant bacilli oſſei vtrinque bini paralleli approximati ex dentibus Saviae *capybarae* ſcalpti et bitumini firmiſſime inhaerentes. Ori contra infixa ſunt bina extrema laquei goſſypini bipedalis longitudinis, quo vt coniectari licet caput ipſum ſuſpendebatur.

Auris vtriusque cartilagineae longis inciſuris pro more gentis innexi ſunt craſſi flocci filorum goſſypinorum.

Ipſe denique ornatus frontalis ex pulcherrimis pennis auium indigenarum, Tantali *rubri*, Ramphaſti *tucani*, et Pſittacorum praeſertim *macaonis* et *araraunae* compoſitus et funiculis goſſypinis artificioſe contextus eſt *z*).

Omiſi haec in icone vt capitis ipſius forma eo melius appareret, quod quidem depreſſum breue et fere globoſum exacte reſpondet deſcriptioni Equitis Pinto vicecomitis de Balsemam qui Braſilianorum faciem magis ab ouali remotam eſſe ait quam in vlla alia fortaſſis gente *a*).

u) Pluribus noui orbis barbaris populis moris erat, Cazicorum ſuorum defunctorum capita a reliquo cadauere ſeparere et ſeorſim ſeruare. cf. v. c. Herrera, *hechos de los Caſtellanos* Dec. III. L. IV. p. 164. ed. Madr. 1601. et Zoega *de orig. obeliſcorum* p. 270.

x) v. Ant. Knivet in Purchas's *Pilgrims* T. IV. p. 1228 ſq.

y) v. Barrow's *voyage to* Cochinchina p. 110. de Braſilianis quos ipſe viderat: "*the beard was viſible only on the upper lip and under the chin.*"

z) Lery in de Bry *Americae* P. III. p. 166. it. Marcgrav p. 270.

a) ap. Robertson, *hiſtory of America* T. II. p. 403. ed. Baſil.

XLVIII.



XLVIII. *Feminæ Brasilianae.*

XLVIII. Feminae Braſilianae.

(— Tab. XLVIII. —)

Caput paruum, eleganter conformatum. Frons globoſa. Naſus depreſſior, ampla tamen olfactus officina *b*), etiam ſinus frontales tuberoſi, quod in feminis rarum. Maxilla ſuperior parum prominens; inferioris arcus ellipticus magis, non vt in aethiopibus parabolicus.

Conuenit in vniuerſum tam cum capite quod antecedente tabula exhibuimus, quam cum eximiis iconibus militis barbari Braſiliani *c*) et feminae iuuenis eiusdem gentis quae auctore celebri pictore Francisco Post *d*) in pinacotheca Regis Daniae adſeruantur, et quorum egregia apographa manu cl. Abildgaard artis pictoriae Profeſſoris apud Havnienſes elaborata, cl. Neergaard M. Dri debeo.

b) Conueniunt cum ea, quae de odoratus Braſilienſium acumine paſſim memorantur, vt in Cl. d'Abbeville *hiſtoire de la miſſion en l'isle de Maragnon* p. 311. "*Ils ont l'odorat ſi parfaitement bon qu'ils recognoiſtront par iceluy ſeulement, non plus ne moins qu'un chien, ſauf l'humanité, la piſte de leurs ennemis; et diſcernent facilement par l'olfact deux perſonnes de diuerſes nations.*"

c) Ex eorum numero quorum integras turmas ſclopetis et enſibus rite armatas, Jo. Mauritius Naſſouicus Braſiliae quamdiu a Batavis occupata erat, gubernator, formari iuſſerat. v. J. P. Augspurger's *Seereiſen nacher* Braſilien p. 23. 26. 41.

d) Quem idem Mauritius aeque ac Marcgrauium et Piſonem ſecum in Braſiliam duxit. v. Houbraken *Schouburgh der Nederlantſche Konſtſchilders* T. II. p. 343.

VARIETATIS QVINTAE SPECIMINA BINA.

XLIX. Buggessi Macassarensis.

(— Tab. XLIX. —)

Ex memorabili Indicorum craniorum collectione qua apparatum meum ditaſſe Cl. Jassoy Batauiae medicum ſupra iam memini.

Viri eſt 30 circiter annorum nomine La Tua, qui lethali vulnere in noſocomio Batauiae an 1803. obierat.

Buggeſſi ſ. Buggineſi ex quibus ortus erat, ſingulare plane Malayicae varietatis ſtemma in auſtrali inſulae Celebes plaga conſtituunt *e*) ab ipſis reliquis Macaſſaribus vti peculiari plane lingua et propriis literarum formis et ſcribendi modo, ita et ſi ex cranii de quo agimus conformatione aliquid coniectari licet, vultu ſuo ab aliis Malayicis gentibus haud parum diuerſum. Siquidem illud memorabili habitu quibusdam ſui partibus aethiopico vultui appropinquare in aliis contra ad mongolicum quodammodo accedere videtur. Vti enim facies decliuis et alueolaris portionis oſſium maxillarium prominentia cum valde obliqua dentium inciſorum ſuperiorum directione caput hoc a latere ſpectatum aethiopico haud abſimile reddit, ita contra idem ab antica facie ſpectatum, inſigni latitudine oſſium iugalium et orbitarum plano latoque naſo longe a ſe inuicem diſtantium amplitudine etiam mongolici quid prae ſe ferre videtur.


Praeterea dentibus primoribus ſuperioribus vitrea ſubſtantia in facie antica maximam partem gentium iſtarum more, coticulae ope deleta eſt *f*), omnes vero dentes continuo maſticatorii vſu ex pipere betel et areca cum calce viua compoſiti, denſa et fuſco-nigricante cruſta obducti *g*).

e) Cf. Forest's *voyage from Calcutta to the Mergui — Archipelago* et Radermacher in *Verhandelingen van het Bataviaaſch Genootſchap* T. III. p. 206. Iconem Buggeſſi v. in Valentyn's *Ooſtindien* T. II. p. 182. tab. 41.


f) Pluribus de hoc ritu egi libro *de generis hum. varietate* p. 230. ed. 3.


g) Cf. Decad. IV. ad tab. 39.

L. Mar-



XLIX *Buggeſsi Macaſsarenſis.*







L Marquesáni.

L. Marqvesani.

(— Tab. L. —)

Debeo rariſſimum et eximium hocce cranium amicitiae dilectiſſimi quondam auditoris, Cl. Langsdorff M. Dris et indefeſſi naturalis hiſtoriae ſcrutatoris, qui in nupero memorabili periplo, Ruthenorum Auguſtiſſimi Imperatoris iuſſu, duce perilluſtri et longe meritiſſimo de Krusenstern, abſoluto, in Nukahiwah primaria nouarum Marchionis inſularum *h*) acquiſiuit, mihique dum adhuc per biennium in Aleuticis inſulis et vicinis Americae borealis oris remanet, interim per ſocios laborum et ſtudiorum in tanto itinere feliciter in Europam reduces, dono miſit.

Incolae harum inſularum ab omnibus qui eas inuiſerunt Europaeis, vno ore pro pulcherrimis quod corporis ſymmetriam et proportiones attinet, non immenſi tantum maris pacifici inſulanorum, ſed et reliqui qua late patet orbis terraquei gentium, declarantur *i*), quod praeſertim Cl. Tilesii, Ruſſorum Imperatori ab aulae conſiliis, meique amantiſſimi curatae dimenſiones viri iuuenis Marqueſani teſtantur *k*), quas iunctim cum inſigni apparatu iconum rerum naturalium peritiſſima manu ab ipſo in

 itinere

h) Malo more plerique nuperorum nautarum qui ad haſce inſulas appulerunt diuerſa noua nomina ipſis impoſuerunt; hinc v. c. a gallo Marchand vocantur *Iles de la Revolution*, ab anglo van Couver *Hergeſt's Islands*, a Boſtonio-Americano Robert *Washington's Islands*. Aptiſſime vero nominantur *Novae Marqueſanae* cum vicinae ſint antiquioribus eiusdem nominis quae ab Hiſpano navarcho Alv. de Mendana iam a. 1595 inuiſa et deſcripta pridem Europaeis innotuerunt.

i) v. Cook's *voyage to the South pacific Ocean* T. I. p. 308. "*The inhabitants of the* Marqueſas, *collectively, are without exception the fineſt race of people in this ſea. For fine ſhape and regular features they perhaps ſurpaſs all other nations.*"

k) v. eas in Voigtii *Magazin für den neueſten Zuſtand der Naturkunde* T. XII. p. 495. et in eiusdem promptuarii, T. XI. p. 299. iconem manus reginae Nukahiwenſis a Langsdorffio curate delineatam, vt ſpecimen exhiberet eximii artificii et ſymmetricae elegantiae qua memorabiles iſti inſulani corpora ſua a capite vt aiunt vsque ad calcem ſcarificando mirifice pingunt (quod vulgari Otaheitarum idiomate *tatower* vocatur).

itinere delineatarum et doctiſſima earum deſcriptione mecum amice communicauit.

Cranium ipſum Marqueſani vti totali quidem habitu propius abeſt ab eo Otaheitae quod alias (— Dec. III. tab. 26. —) exhibui, ita et in ſingularium partium fabrica peculiari, vt v. c. iugo elatiore quod frontem mediam ad ſuturae locum percurrit etc. attamen conformationis elegantia hoc ipſum longe excedit, ad latera magis compreſſum, verticis fornice pulchrius arcuato, bregmatibus non adeo tuberoſis, ſuperciliis oſſeis prope naſum minus tumidis aliisque vel ex iconum comparatione patentibus momentis.

Ceteroquin caput hoc ſingulari modo pro more bellicoſis iſtis anthropophagis ſolemni, qui nempe occiſorum crania tanquam trophaea ſecum geſtare ſolent, ligatum et ad ſuſpendendum aptatum eſt; quo quidem fine cingulum ex corticis nucem cocos ambientis fibris artificioſe plexum per narium meatum decurrens mandibulam inferiorem cum ipſa caluaria firmiſſime iungit, quod et praeterea ligneo cylindro narium aperturae intruſo eo magis immobile redditur; funiculus autem ex iisdem fibris contextus ſuſpendendo capiti inſeruit.

IO. FRID. BLUMENBACHII

MED. D. ET PROFESSORIS PRIMARII
REGI A CONSILIIS MEDICINALIBUS PRINCIPE LOCO
ORDINIS GUELPHORUM EQUITIS
SOCIETATIS REGIAE SCIENTIAR. GOTTINGENS. SODALIS
ET A LITTERIS EIUS SECRETIS

DECAS SEXTA

COLLECTIONIS SUAE

CRANIORUM

DIVERSARUM GENTIUM

ILLUSTRATA.

GOTTINGAE
APUD HENRICUM DIETERICH.
MDCCCXX.

Cum ante bina et quod excurrit luſtra quintam decadem craniorum muſei mei exhiberem, vix quidem tot tantaque adhuc nova augmenta iſtius collectionis expectaram ut ſelectus ſaltem rariſſimorum et maxime memorabilium ſextae adhuc decuriae uberem materiam praeberet.


Crevit tamen ea interim fautorum inprimis et amicorum attento ſtudio et liberalitate adeo, ut iam inſigne et ad illuſtrandam generis humani naturalem hiſtoriam graviſſimum complementum prioribus iſtis diſſertationibus craniologicis ſubiungere liceat, utpote quo praeſertim biga maxime diſſimilium craniorum gentilitiorum exhibetur, quam ad pretioſiſſima muſei mei cimalia refero: alterum nempe pulcherrimum et fere ideale veteris Graeci, alterum vero barbarum et immane Botocudae anthropophagi.

Verum et ex reliquis talia praeſertim ſelegi capita oſſea remotiſſimarum gentium quae illuſtrando ſtudio anthropologico et

ethnographico ſecundum ea varia momenta quae in fronte decadis quintae enarravi, egregie inſervire poterunt; ad demonſtrandam v. c. affinitatem gentium quae, ſive aetate qua floruerunt, ſive terrarum quas incolunt longa diſtantia valde diverſae videntur, ut veteres Aegyptii et hodierni Indi; Samojedi et Americani Caurini; aut ad explicandam formam mixtam in craniis hominum quaſi hybridorum, ex parentibus nempe diverſi ſtemmatis oriundorum, quod Mulattarum eſt.

Quae quidem iterum ſueto ordine quinarum varietatum in quas univerſum qua late patet genus humanum proxime ad naturae veritatem dividendum mihi videtur, ſigillatim memorabimus.

VARIE-



LI. veteris Græci.

VARIETATIS PRIMAE

SPECIMINA TERNA.

LI. Veteris Graeci.

(— Tab. LI. —)

Praeter crania diverſarum quae hodie orbem terraqueum incolunt gentium, etiam antiquitatis populorum capita oſſea ad illuſtrandas generis humani varietates nativas et quatenus vel ſaeculorum decurſu ſenſim degeneraſſe dicendae ſint, ſedulo colligere ſtudui, adeoque plura mumiarum Aegyptiacarum, tum veterum Romanorum, Germanorum, Tſchudarum etc. calvarias conquiſivi; earumque ſpecimina inprimis memorabilia prioribus decadibus exhibui.

Unice *veteris Graeci* cranio potiundi ſpem poſt multifaria ſed fruſtranea tentamina fere depoſueram, cum haud ita pridem inopinanti mihi contigerit eſſe tam felici ut SERENISSIMUS PRINCEPS BAVARIAE REGNI HERES, quem inter alumnos ſuos habuiſſe gloriatur alma noſtra Georgia Auguſta, in itinere Italico praeceptoris quondam ſui in hiſtoria naturali memor, huic eius deſiderio penitus et pleniſſime ſatisfaceret. Cum enim pro ſingulari ſtudio quo priſcae artis, inprimis Graecae operibus delectatur, inter alia etiam in magna Graecia verſatus Reverendiſſimi Epiſcopi Nolani muſeum antiquarium inviſens vaſculorum pictorum Graecanicorum, quae vulgo Etruſca vocantur, collectioni iuncta videret aliquot crania veterum Hellenorum, cum reliquis oſſibus et ſiglinis iſtis admirandis in hypogeis antiquis *a*) reperta et

a) Iconem eiusmodi hypogei a. 1790. in agro Nolano curante W. Hamilton Equite eruti v. in fronte Vol. I. egregii operis quod amiciſſimus W. Tischbein tum temporis academiae pictoriae Neapolitanae Director

et curioſe aſſervata, uno eorum apprime formoſo ab humaniſſimo poſſeſſore donatus muſei mei anthropologici inſignem lacunam ipſo explere dignatus eſt.

Aevitatem equidem venerabilis capitis praeter cariem vetuſtatis qua oſſa paſſim exeſa et aſperata ſunt, teſtantur praeſertim nigrae quaſi holoſericeae maculae quibus hinc illinc diſtinguitur et quae tenerrimis plantulis pulverulentis, *Byſſo* nempe *antiquitatis b*) conſtare, microſcopica indagatio monſtrat.

Eximia vero pulchritudo huius cranii, cum icone quam exhibemus accurata per ſe iam oculos artis peritos feriat, verboſius eam perſequi ſupervacuum videtur. Sufficiat ergo monuiſſe inter CLXX. crania diverſarum gentium, ad quem nempe numerum collectio mea dum haec ſcribo increvit, praeter illud Georgianae feminae *c*) ne unum eſſe quod eximia forma calvariae ſubgloboſae, frontis nobiliſſime fornicatae, maxillae ſuperioris oſſibus ſub narium apertura fere ad perpendiculum coadunatis, iugalibus concinne et modice declivibus, verbo univerſa vultus venuſtiſſima conformatione huic aequiparandum ſit.

Si enim verum eſt ut eſt veriſſimum faciei varias formas proxime a cranii quod ipſi pro fundamento eſt figuratione pendere *d*), haec de qua agimus calvaria adeo ut cum Naſone loquar

artificum laudatis proxima ſignis

appa-

Director edidit s. t. *collection of Engravings from ancient Vaſes* etc. 1791. fol.

Archetypum tabulae aeneae, artificioſa manu C. H. Kniep calamo pictum, iam muſeum meum ornat.

b) Byſſus *nigra velutina* Hall. Iconem v. in Dillenii *hiſt. muſcor.* Tab. I. Fig. 18.

c) Dec. III. Tab. XXI.

d) Cf. poſt alios idoneos iudices doctiſſ. Salvage in ſplendido opere, *Anatomie du gladiateur combattant*, ubi v. c. pag. 2. Introduct. ait: "*J'ai*

apparebit harum rerum peritis, ut vel hocce inſigni exemplo ea ultro ad oculum comprobentur quae alias contra nuperorum quorundam opinionem de vultus forma quam *idealem* vocant, et linea faciali veterum Graecorum (— *Griechiſches Profil* —) monui *e*), quam nempe non ad ipſam naturae veritatem, ſed ut Quinctilianus ait, decore addito ſupra verum, effictam autumant *f*); cum potius ſi hoc de quo agitur cranium cum pulcherrimis humani capitis formis contuleris quae in artis priſcae Graecanicae omnis generis operibus perfectiſſimis ſuperſunt, ea utique ſymmetria et proportione perfecte cum hoc ipſo convenire, fateri oporteat.

"*J'ai anatomiſé ſur plâtre deux têtes d'Apollon, et me ſuis convaincu que ſon air noble et plein de Majeſté depend abſolument du caractère* offeux *qu'elle comporte.*"

et Lavateri contra querelam in *phyſignom. Fragm.* Vol. IV. p. 247. "*Daſs ſo manche der gröſsten Anatomiſten und Zeichner für die ſo unendlich auffallende, und unendlich wichtige Verſchiedenheit der Schädel wenig Sinn haben*" etc.

e) *Specim. hiſtoriae naturalis antiquae artis operib. illuſtratae.* Commentat. Vol. XVI. p. 179 ſq.

f) Quam ſv. c. de Pauw in *Recherch. ſur les Grecs* T. II. p. 97. "*un ſtyle de deſſein*" vocat "*adopté dans quelques écoles.*"

LII.

LII. Mumiae Aegyptiacae Tertiae.

(— Tab. LII. —)

LIII. Indi Bengalenſis.

(— Tab. LIII. —)

Cum in itinere Anglico verſato muſea Londinenſia uberem praeberent occaſionem tam in Indicis variae aetatis artis operibus quam in veteris Aegypti monumentis, utriusque terrae incolarum vultus gentilitios invicem comparandi, inſignem quae paſſim eos intercedit ſimilitudinem admiratus, poſthac ea ad illuſtrandas veterum Aegyptiorum varias aborigines uſus ſum *g*).

Ipſam vero eam analogiam ultro et luculenter probat biga craniorum iſtarum gentium quae non obſtante ſive aevi quo vixerunt, ſive terrarum quas incoluere diſtantia, ita ad amuſſim inter ſe conveniunt ut in collectione mea vix ac ne vix quidem alias duas diſſitarum nationum calvarias ſibi adeo perſimiles videre liceat *h*).

Utrumque caput iuvenile eſt.


Altero, medicati nempe funeris Aegyptii, ſupellectilem meam anthropologicam auxit cl. Gall qui id ipſum Vindobonae a doctiſſ. Cripps collegii Ieſu quod Cantabrigiae eſt ſodali ex itinere Aegyptio reduce accepiſſe me docuit; alterum Indi Bengalenſis debeo experientiſſimo Ottoni chirurgo urbico Dantiſcano qui illud ex India Cisgangetana reportaverat.

Conveniunt ut univerſo habitu ita praeſertim fronte, facie ad malas anguſtiore, naſi oſſibus parum prominulis ſed a glabella leviter decurrentibus, et orbitis amplis.


n

g) *Beyträge zur Naturgeſchichte.* II. Th. p. 134 ſq.

h) Conf. coniunctiſſ. Heeren *Ideen über die Politik* etc. I. Th. 2te Abth. p. 693. ed. 3.



LII. Mumiae Aegyptiacae 3tiae.



LIII. *Indi Bengalensis.*

In mumiae vero capitulo praeterea adhuc tria alia obſervanda:

Cavum nempe cranii omni bitumine vacuum, aeque ac in mumia Cantabrigienſi a CON. MIDDLETON descripta *i*) et in ea quae in muſeo Academiae Georgiae Auguſtae adſervatur *k*).

In vertice vero asphalti reliquiae quibus involucrorum Byſſinorum veſtigia impreſſa ſuperſunt, eodem modo quo oculatisſimus medicus Arabs ABDOLLATIPH Baghdadenſis ea ante hos ſexcentos annos in mumia aliqua obſervaſſe memorat *l*).

Demumque nares ut in tot aliis veteris Aegypti medicatis funeribus ad educendum cerebrum ſurſum pertuſae *m*).

i) V. EJ. *germana antiquitatis eruditae monumenta.* p. 261.

k) Deſideratiſſ. HEYNE commentat. Vol. IV. p. 14.

l) *Hiſtoriae Aegypti compend.* ex ed. Io. WHITE. Oxon. 1800. 4. p. 151. " *Vidi ſuper calvaria veſtigium amiculi feralis, veſtigiumque operis textorii, in quo notae apparerent ſimiles iis quae conſpici ſolent in cera veſti impreſſa.*"

m) Cf. *Dec.* IV. ad Tab. XXXI.

VARIETATIS SECUNDAE

SPECIMINA BINA.

LIV. Samojedi.

(— Tab. LIV. —)

Debeo hocce cranium clariſſimo Nudow, medico provinciali in celebri Archangeli emporio. Gentis eſt magnam partem nomadicae longe lateque per Sibiriae occidentalis plagas ſparſae, et hodieque Mongolici ſtemmatis habitum prae ſe ferentis. Adeoque et caput de quo agimus facie lata plana, naſo depreſſiore, verum et univerſa conformatione proxime abeſt ab aliis eiusdem varietatis ſpeciminibus; praeſertim autem ſimilis apparet Groenlandorum calvariis quarum bigam Decade quarta exhibuimus *n*). Convenit enim cum his praeter cetera oſſium planorum tenuitate et inde maxime pendente totius cranii inſigni levitate, naſi oſſibus valde elongatis ſed anguſtis, aliisque quae iconum comparatione per ſe patent.

Verum et ipſam hanc quae Samojedis cum Groenlandis intercedit ſimilitudinem iam ante bina fere ſecula ex autopſia notavit oculatiſſimus et accuratiſſimus naturae obſervator, Adam. Olearius *o*).

Cranio autem quod exhibemus reſpondet quoque in univerſum unanimis conſenſus auctorum autoptarum qui de nativo habitu et charactere gentilitio iſtius gentis egerunt *p*).

n) Tab. XXXVI et XXXVII.


o) *Reyſe nach Muscow und Perſien.* ed. 2. 1656. p. 158.


p) Cf. v. c. poſt tot alios: *Mémoire ſur les Samojedes et les Lappons,* (auctore Ruſſici ſtatus Conſiliario T. M. de Klingstaedt) p. 38. et ex antiquioribus claſſica illa Ger. de Vera *deſcriptio trium navigationum admirandarum* (Wmi. Barentsz ad novam Zemblam etc.) p. 11 *b.* ed. lat. Amſt. 1598. fol. quam quidem verſionem (quod obiter monere liceat cum nuſpiam obſervatum meminerim) aeque ac eas itinerum Harrioti in Virginiam et Laudonnerii in Floridam, curavit vir ſummus et incomparabilis Car. Clusius.

LV.



LIV. Samojedi





LV. Schitgagani.

LV. Schitgagani.

(— Tab. LV. —)

In litore Americae Caurinae quae nempe Septentrionem inter et occidentem ad maris pacifici partem borealem oblique excurrit inprimis memorabilis eſt ſub 57mo latitudinis gradu, Sinus Norfolkii pretioſae Lutrae marinae dives, cuius accolae ſe ipſos *Schitgaganos* vocant, Ruſſi *Kaluſchos*. Curatiſſimam huius populi, eiusque morum admodum ſingularium, notitiam debemus viro mei amantiſſimo auditori quondam dilectiſſimo, iam Auguſtiſſimi Ruſſiae Imperatoris Conſuli generali in Braſiliae regno, perilluſtri de Langsdorff *q*), utpote qui Generoſiſſimi de Krusenstern per maximam celebris ſui peripli partem comes, poſtea in iſtis Americae borealis occidentalibus oris per integrum fere annum reſtitit et collectionem meam craniorum ipſo hocce Schitgagani ditavit.

Adeo vero memorabilis haec calvaria facie depreſſa et malarum oſſibus late extantibus et quaſi alatis inſignitur ut tanquam pro ſpecimine ideali Mongolicae ut vocatur, in genere humano varietatis, haberi poſſit *r*).

q) V. Ej. *Bemerkungen auf einer Reiſe um die Welt* etc. T. II. p. 96.

r) Peropportune accidit, ut dum hanc prelo tradenda pararem alterum eiusdem ſtemmatis cranium ad manus perveniret, priori iſti charactere quem diximus nationali ſimillimum, quod quidem exoptabile munus amicitiae egregii Viri, Sam. Perkins celebris mercatoris Boſtonienſis debeo, cuius rogatu Io. Bancroft navis mercatoriae praefectus cum nuper Norfolkii ſinum inviſeret hocce caput oſſeum Schitgagani reportavit.

VARIETATIS TERTIAE SPECIMEN.

LVI. Mulattae.

(— Tab. LVI. —)

Acceptum refero egregium et memorabile hocce cranium viro cl. Fr. Beneker M. Doctori et chirurgo primario Regii Belgarum exercitus, qui integro capite Mulattae in noſocomio militari recenter defuncti me donavit. Viri iuvenis eſt in colonia Guayanenſi Demerari nati matre aethiopiſſa, patre vero Batavo Haarlemenſi.


Cranii forma in univerſum ſpectata proxime abeſt ab ea quam Batavorum, Germanorum, aliarumque Caucaſii ſtemmatis gentium capita oſſea prae ſe ferunt, contra vero ſi forte a maxillaribus oſſibus paullo porrectioribus diſceſſeris, vix ullum eorum characterem in eo invenies quibus alioquin aethiopum calvariae diſtinguuntur. Omnia heic quam in Nigritarum craniis latiora; imprimis calvariae proprie ſic dictae oſſa, frons ſpatioſa, temporalium oſſium ſquamae tumidae, bregmata vero ampliſſima, protuberantia.

Novo adeo exemplo characteris paterni, a curatis naturae indagatoribus tam in ipſo genere humano *s*), quam in progenie aliorum animantium mammalium domeſticorum *t*) obſervati, quo quidem conſtat, in prole a diverſi ſtemmatis parentibus nata, capitis formam maxime a patre genitore impertiri.


s) Cf. v. c. Hacqueti de Armenis obſervationem. Dec. V. ad Tab. XLI.

t) V. poſt Daubentonium aliosque de re pecuaria auctores inter noſtrates Chr. Sturm *über die Racenzeichen der Hausthiere.* p. 13. C. W. Ammon ad G. Fr. Sebald *Geſchichte des Pferdes.* T. I. p. 147. 157. inprimis autem Jos. Ad. Bachmann doctam commentationem a Soc. Regia a. 1817 praemio ornatam *über Züchtung und Kreuzung der Hausthiere* in promtuario Hannoverano 1818. p. 163.

VARIE-



LVI. *Mulattæ.*





LVII. Feminæ Croatæ.

VARIETATIS QUARTAE
SPECIMINA BINA.

LVII. FEMINAE COROATAE.
(— Tab. LVII. —)

Vir Generoſſimus W. C. DE ESCHWEGE Haſſus, Regi Luſitaniae et Braſiliae Praefectus locumtenens architecturae militaris et Director generalis aurifodinarum Capitaniae quae Minas geraes audit, rara opportunitate uſus qua per plures annos eam Americae Luſitanicae partem incoluit, non ſubterraneos tantum ditiſſimi iſtius regni theſauros ſed et alia quae naturalem eius hiſtoriam attinent aeque ac barbarorum indigenorum naturam et mores indagandi.

In egregio diario Braſilienſi *u*) cuius hactenus bini faſciculi prodierunt praeter tot alia memorabilia *Coroatorum x*), ſtemmatis Indorum barbarorum, hucusque parum noti, habitum et vitae genus deſcribit, ſimulque etiam ipſum de quo agimus cranium memorat, quo vir egregius meique amantiſſimus et auditor quondam peraſſiduus collectionem meam auxit.

Caput eſt oſſeum feminae 20 circ. annorum, cuius cadaver pro more iſtius gentis amphora figlina conditum et in tugurio quod tum a familia ſuperſtite deſeritur, ſepultum fuerat.

In univerſum quidem ſatis ſimile eſt cranio Braſilianae mulieris ex gubernio Para quod ſuperiore decade (— Tab. XLVII. —) exhibuimus; differt tamen ab eo facie anguſtiore et magis elongata,

u) *Journal von Braſilien.* Vinar. 1818 ſq. 8.

x) Quod *coronatos* ſignificat, nomine Luſitano a capillorum ſingulari tonſura ipſis impoſito.

gata, imprimis autem maxillae ſuperioris oſſibus ſub narium apertura in prominentiorem criſtam coadunatis, quod quidem magni nominis apud Londinenſes pictor, Benj. West ad characteres principes phyſiognomiae gentilitiae Iudaeorum refert *y*), quocum ea bene congruunt quae perill. de Eschwege poſtea in opere laudato de vultu Coroatorum memorat *z*), quem iudaico adeo ſimilem dicit, ut facies inter eos occurrant, maxime genuinis Iſraelitarum vultibus plane aequiparandae.

y) Pluribus de hoc argumento diſſerui libro *de generis humani varietate nativa* p. 196. ed. 3.

z) P. I. p. 163. 164.

LVIII.



LVIII. Botocudi.

LVIII. Botocudi
ANTHROPOPHAGI BRASILIENSIS.

(— Tab. LVIII. —)

Unico hactenus exemplo Principem Germanicum Sereniſsimum nempe Maximilianum Neovidensem, nuper vidimus hiſtoriae naturalis ſtudio, cui et in alma noſtra litterarum univerſitate peraſſidue incubuerat, remotiſſimas novi orbis plagas adeuntem, et inter ipſos barbaros Indos diu verſantem ut ditisſimam rerum naturalium copiam, et quod maius eſt, uberem de ipſis obſervationum meſſem, iſtinc reportaret.

Inter multifarias acceſſiones quibus doctiſſimus Princeps muſeum meum, ipſi dum ſcholas noſtras frequentabat probe notum, auxit, maxime memorabile et gratiſſimum refero cranium *Botocudi a*) populi ex Tapuiarum gente vere anthropophagi, cuius uberiorem notitiam in itineris deſcriptione a Sereniſſimo auctore propediem edenda, avidi exſpectamus *b*).

Viri

a) Nomine ipſis aeque ac Coroatis a Luſitanis indito; et quidem *Botocudis* a vaegrandibus diſcis ligneis quorum bigam in mire extenſis appendicibus auricularum, tertium vero in labii inferioris enormi inciſura geſtant; cuiusmodi quidem cylindrici orbes, qualibus v. c. ad orificia doliorum obturanda utuntur, vernacula Luſitana lingua *botoques* vocant.

Plures horum diſcorum quibus iſti barbari anthropophagi ſe inſigniunt et quos ex ligno *Bombacis ventricoſae* parari Princeps Maximilianus me docuit, in ſupellectili mea anthropologica ſervo, quorum unus, inauris loco geſtatus, quod ipſi debeo, IV prope uncias, alius vero labialis ut ita dicam, (quo me cum binis eiusmodi diſcis inauribus multisque aliis Braſilianis memorabilibus donavit cel. Freyreiss Francofurtenſis, naturalis hiſtoriae ſtudioſiſſimus, in iſta novi orbis plaga degens), tres fere uncias diametro tranſverſali aequat, craſſitie omnium ad eam digiti accedente.

b) Cf. etiam de Eschwege l. c. P. I. p. 88 ſq.

Viri eſt 25 circa annorum qui hoſtilitate qua antea cum popularibus ſuis in vicinas Luſitanorum ſtationes irruerat, demum compoſita, ab eo inde tempore ipſum horum praeſidium ad Fluv. dulcem (*Rio doce*) ſubinde frequentavit, ibique haud ita pridem morbo occubuit.

Cranium ipſum magnum, ex oſſium textura denſa et dura *c*) calvariaeque craſſitie valde ponderoſum, in univerſum autem dummodo a mandibula inferiore et ab orbitarum figura et intervallo, ſpina naſali porrecta aliisque quae homini propria ſunt, momentis diſceſſeris, toto habitu propius ad eam *Simiae ſatyri* accedens *d*), quam ullum aliud barbari ſtemmatis caput oſſeum in collectione mea viſendum, etſi in aethiopum uno alterove maxilla ſuperior magis antrorſum promineat, a quibus ceteroquin praeter alia iugalibus oſſibus latioribus et bregmatibus extrorſum utrinque tumeſcentibus differt.


Inprimis vero memorandus venit ſcrobiculus quaſi digito cerae impreſſus quo poſt caſum dentium primorum alveoli eorum compreſſi, imo magnam partem plane abſorbti ſunt; id quod, ut Princeps me docuit omnibus in univerſum Botocudis adoleſcentibus ex perenni geſtamine diſci iſtius lignei, de quo modo in nota egimus, contingit, adeo ut vix unquam tricennarium inter eos videas iſtis dentibus adhuc inſtructum.

c) Monachus Luſitanus ſeculo XVI. ad finem vergente ad convertendos Indos in Braſiliam miſſus, cuius egregium diarium Sam. Purchas claſſicae ſuae itinerum collectioni inſeruit (Vol. IV. p. 1296.) craniorum eorum duritiem his verbis memorat:

"*As they goe bare-head, they have the heads ſo hard that ours in compariſon of theirs are like a Pompion, and when they will injurie any white-man, they call him ſoft-head.*"

d) Ita et Nic. du Toict (ſ. del Techo in *Relat. tripl. de rebus Indicis* Antwerp. 1654. 8. p. 34.) Caayguas (alium Braſilienſem tribum ex Cariorum ſtemmate) *tam ſimiis ſimiles quam hominibus* vocat.

VARIE-



LIX. *puellæ Macaſsarensis.*

VARIETATIS QUINTAE
SPECIMINA BINA.

LIX. Puellae Macassarensis.

(— Tab. LIX. —)

Etſi per ſe iam rara ſit occaſio ex adeo remotiſſimis Indiis orientalibus crania indigenorum acquirendi, longe vero difficillimum eſt, in tanta gentium varietate ex quibus mancipia, praeſertim in Batavorum coloniis conquiruntur, ut de genuina origine eiusmodi capitum oſſeorum citra omnem dubitationis aleam certus fieri poſſis. Ideoque inter maxime memorabilia muſei mei anthropologici refero collectionem craniorum *malaicae* praeſertim generis humani varietatis, quam, ut iam Decade quinta (— ad tab. XLV. —) memini, carus quondam auditor, doctiſſ. Jassoy Bataviae urbis phyſicus et in noſocomio medicus primarius mei cauſſa paravit, ſubiuncta cuivis capiti nitide purgato uberiore ex actis forenſibus et diariis medicis excerpta notitia de origine et vitae genere defunctorum de quibus ſumta erant.

Bina eorum heic exhibere liceat eaque feminea, Macaſſarienſe alterum, alterum Balienſe.

Illud virginis 22 annorum in Provincia *Mandhaar* ſubmerſione interfectae, perquam venuſtae tam ſtatura quam vultu.

Calvaria eleganter ſubgloboſa, frons convexa, glabella plana, lata; naſi oſſa depreſſa, facies panda *e*); maxillae ſuperioris limbus

e) Cf. graphicam Macaſſariae feminarum deſcriptionem in F. Valentyn *Ooſt-Indien.* III. D. 2. St. (Vol. IV.) p. 137. ubi inter alia: "*ze zyn door de bank veel ſchooner, netter beſneden van wezen, en veel blanker, dan alle andere Indiaanze Vrouwen — zeer fraai van oogen, mooi, doch wat plat van wezen*" etc.

limbus anterior prominulus; inferior mandibula anguſtior; dentes pigmento maſticatorio Indiae orientalis gentibus indigenis uſitatiſſimo denigrati *f*).

f) De quo praeter ea quae decade IV. (ab Tab. XXXIX.) diximus, videſis quoque THUNBERGII iter T. I. P. II. p. 255 ſq. verſion. German. W. MARSDEN's *hiſtory of Sumatra* p. 281 ſq. ed. 3. 1811. W. VINCENT's *Periplus of the Erythrean Sea.* Vol. II. Append. p. 52. 735 ſq. ed. alt. 1807 et ALARDI *éloge hiſtorique de* F. PÉRON p. 34 ſq.

LX.



LX. *puellæ Baliensis.*

Riep. del. & sc.

LX. Puellae Baliensis.

(— Tab. LX. —)

Iavae orientali orae vicina adiacet parva inſula *Bali g*) ex qua (ut ex tot aliis archipelagi orientalis inſulis) numeroſa mancipia in Batavorum colonias importantur *h*). Erat in his puella 18 annorum cuius cranium exhibemus quae in Bataviae noſocomio autochira obiit.

Convenit hoc ipſum totali habitu cum Macaſſariae quod modo diximus, capite; calvaria, fronte, maxillae ſuperioris oſſibus antrorſum porrectis etc. inprimis vero glabellae et naſi oſſei eidem ſubiecti planitie et latitudine.

Differt vero, praeter alias minoris momenti, oſſeae compagis partes, praeſertim mandibulae inferioris arcu obtuſiore, latiore.

Dentium autem coronae ut in antecente aliisque quae pridem exhibuimus *malaicae* varietatis craniis cruſtà fusca, betelinae quam perpetuo mandunt compoſitionis, obductae.

g) Uberiorem de hac inſula notitiam exhibet Th. Stamf. Raffles in *hiſtory of Java.* Vol. II. Append. p. 231 ſq.

h) Icones binarum ſervarum Balienſium v. ap. de Bruin *Reizen over Moskovie* etc. p. 361. tab. 102. 103.

IO. FRID. BLUMENBACHII

ORDINIS GUELPHORUM COMMENDATORIS, MED. D. ET PROFESSORIS PRIMARII, REGI A CONSILIIS MEDICINALIBUS PRINCIPE LOCO, SOCIETATIS REGIAE SCIENTIAR. GOTTINGENS. SODALIS ET A LITTERIS EIUS SECRETIS,

NOVA PENTAS COLLECTIONIS SUAE CRANIORUM

DIVERSARUM GENTIUM

TANQUAM COMPLEMENTUM PRIORUM DECADUM

GOTTINGAE

SUMTIBUS DIETERICHIANIS.

MDCCCXXVIII.

Ex denis inde annis postquam sextam decadem craniorum diversarum gentium sodalitio nostro exhibueram, collectio mea ethnographica capitum osseorum augmentis memorabilibus adeo ditata est, ut jam operae pretium videatur saltem quinas istarum accessionum tanquam complementa antecedentium coronidis loco exhibere. Et quidem ex pluribus tales selegi calvarias quae integrarum gentium historiam, habitum corporis et vitae genus illustrare poterunt.

LXI. *VETERIS GERMANI.*

(— Tab. LXI —)

Atque vt ab antiquis orbis veteris gentibus oriar, prout antea de craniis priscorum Aegyptiorum, Hellenorum, Romanorum et Tschudarum disserendi occasio mihi data est, ita iam de popularium nostrorum, veterum inquam Germanorum capitibus osseis paucis agere liceat.


Et quidem quanquam difficile sit aevum quo quondam vixerint, imo vero stirpem gentilitiam ad quam referenda sint, curatius definire, nullus tamen destiti huiusmodi reliquias conquirere, earumque satis magnam copiam per Germaniam inde a Cimbricis tumulis ad Austriacos, et a Rhenanis ad Lusaticos vsque erutam, colligendi et invicem comparandi mihi data est occasio.

Rarissimum vero est vnum alterumue craniorum integrum ex tumulis eruere, quale hac tabula exhibetur, prope Romsted in terris Vinariensibus cum multifariis aliis eius aevi et gentis reliquiis detectum, quarum notitiam dedit Perillustris de Goethe, societatis nostrae sodalis *a*), cui Viro mei amantissimo hoc ipsum cranium debeo; quod habitu vniuerso symmetricum et formosum spectatur, et quidem pro coronae dentium integritate extremisque adhuc latentibus *iuvenile*, et si frontem globosam et limbi alveolaris angustiorem arcum spectes, *femineum* videtur, crassitie tamen ossium planorum insigne, hincque et pondere alia eiusdem magnitudinis capita ossea superans.

Quotquot vero praeter hanc ipsam alias veterum Teutonum calvarias e tumulis erutas, etsi minus integras, imo vero et magnam copiam fragminum osseorum, ex vrnis praesertim sepulcralibus desumtorum comparavi, in his omnibus ne vnicum quidem reperi

---

a) *Ueber Kunst und Alterthum* T. II. P. I. pag. 195.



LXI. veteris Germani.

...in del. Riepenh.[un] sc. c. seq.[te]

quod magnitudine insolita similes sceleti partes nostri aevi Germanorum,

qualia nunc hominum producit corpora tellus,

superare dixeris *b*), adeo ut ad hanc ipsius naturae veritatem sublestior videatur fides et ad licentiam si non poeticam certe politicam referenda relatio scriptorum Romanorum de veterum Germanorum corporibus ingentibus, immanibus, altissimis *c*).

Quamquam enim nemo dubitauerit extitisse etiam inter veteres Germanos passim aeque ac inter hodiernos, et plerasque alias gentes individua vulgarem staturam popularium suorum mire superantia, adeo rara tamen et tunc ea fuisse ex modo dictis apparet, vt ad exceptiones quod aiunt, regulam potius confirmantes, pertineant.

---

b) Perbene iam eo argumento vsus est ad diluenda *Jo. Picardti* somnia de giganteo veterum Westphaliae et Frisiae incolarum habitu *Io. H. Cohausen* in *ossilegio historico-physico.* 1714. 4. pag. 19.

Ex nuperrimis vero Teutonicorum tumulorum curatis indagatoribus eandem de mediocri tantum veterum ad quos pertinuerunt incolarum statura declarantibus, videsis praesertim *H. Schreiber* in *neuentdeckten Hünengräbern im Breisgau.* Friburgi 1826. 8. pag. 27 et 66.

c) Adeant, quibus volupe est, siluam eorum in *Clüveri Germania antiqua* pag. 92. ed. L. B. 1631. Fol. et *Conringii* l. *de habitus corporum Germanicorum antiqui et noui causis,* c. annotat. *Burggravii* Francof. 1727. 8. pag. 128 et al.

LXII. *KAMTSCHADALI GENUINI.*

(— Tab. LXII. —)


Uti ad maxime memorabiles in historia generis humani eventus referre oportet integrarum nationum non una ex caussa exstinctionem, ita et crania eorum in museo meo anthropologico superstita ad cimelia eius inprimis memorabilia numero.

Exhibui ex horum ordine prioribus iam decuriis calvarias genuinorum Caribaeorum rubeorum (probe a nigris maronibus aethiopicae originis distinguendorum) et mumiae Guanchi, incolae aboriginis insularum fortunatarum.

Iam vero contigit mihi esse tam felici alius adhuc gentis hodienum vt videtur prorsus extinctae cranium acquirendi, sinceri nempe Kamtschadali, ab aliis istius peninsulae incolis Mongolici stemmatis, quales Koraeki et Tschudae sunt, plane diversi.

Numerum horum Kamtschatkae aboriginum (qui se ipsos *Itialmen* vocabant) jam inde a classici super iis auctoris, Stelleri tempore indies magis magisque ita decrevisse constat, ut meritissimus navarcha, sodalis noster perillustris de Krusenstern jam ante vicenos et quod excurrit annos in celebri suo periplo exiguos saltem eorum superesse memoret, hosque ipsos paucis fortasse annis plane extinctos fore praedicet.

Pridem iam spe decideram genuini aboriginis Kamtschadalici cranio museum meum locupletandi, postquam et Aschii nostri, qui ipsum istud tanta liberalitate ditaverat, et Krusensternii itineris sociorum conatus eo scopo frustranei fuerant, cum nuper Augustarum Vinariae Principum gratia, quibuscum desiderii huius mentio inciderat, ex itinere Petropolitano reducum, ipso hocce de quo iam agitur cranio donarer, uno ex binis quae ibi in Museo historiae naturalis servabantur.



LXII. Kamtschadali genuini.

Facies in universum respondet tam iis quas quondam Steph. Krascheninnikow de Kamtschadalis aboriginibus notavit, vultum nempe eorum etsi aliis nonnullis Sibiriae gentibus depressa planitie similem, tamen zygomatum late extantium prominentia singulariter insignem conspici *d*), tum vero et curatis et vere characteristicis iconibus istorum hominum, omnium maxime vero muliebri imagini, quae Cookii ultimi itineris historiae inserta visitur. *e*).

---

d) *Description du Kamtchatka* pag. 14. ed. Paris. 1768. 4.

e) Vol. III. (Cptn King's *continuation*) tab. 76.

LXIII. *BATAVI GENUINI.*


(— Tab. LXIII —)

Cum longe diversissima sit ratio formae gentilitiae eorum populorum, qui cum aliis vicinis seu aduenis per longas iam generationum series mixti sunt, et e contrario eorum, qui aut patriae glebae fideliter adscripti haeserunt, aut saltem etiamsi longe lateque dispersi fuerint, tamen non extra nativam stirpem coniugia ineunt; facile intelligitur horum etiam crania constantem magis formam prae se ferre, cuiusmodi exempla ex Europaeis gentibus iam prioribus decadibus exhibui Iudaeorum et genuini Cingari.


Eorum autem qui fixis sedibus inde a longo tempore adhaeserunt, memorabilia specimina nactus sum terna eaque singula reliquis quoad characterem gentilitium aequalia genuinorum inquam Batavorum ex insulis sinus australis (*Zuyder - Zee*) Marken, Urk et Shokland.

Interim tamen illud hic exhibendum selegi quod eum characterem, praesertim frontem valde reclinatam, glabellam contra cum arcubus superciliaribus, et maxillaribus ossibus prominentem, maxime prae se fert.

Hoc ipsum debeo cl. D. Prins, reliquos medicis meritissimis Crull, Kuyper et van Swinderen, quibus omnibus istae quas dixi insulae earumque incolae propius notae sunt.



LXIV. Fœminæ Sinenſis hybridæ.



LXIII. Batavi genuini.

LXIV. *FEMINAE SINENSIS HYBRIDAE.*

(— Tab. LXIV. —)

Prout iam prioribus decuriis de characteristico habitu agendi occasio data est eiusmodi aut populorum aut singulorum hominum qui ex diversorum stemmatum connubio ortum suum duxerunt, quales Mulatti sunt, aut passim Kirgisi et Jacutae medium inter Taricum et Mongolicum vultum tenentes; ita nunc memorabile specimen huiusmodi progeniei mixtae, et quidem Malaicae generis humani varietatis cum Mongolica exhibere mihi licet.

Cranium inquam Javanae quae matrem quidem Malaicam, patrem vero Sinensem habuit, quod ex itinere sexenni Indico unice ad illustrandam remotissimarum istarum plagarum historiam naturalem et anthropologicam instituto retulit celeberrimus mihique amicissimus C. G. C. Reinwardt Prof. Leidensis, qui simul rarissimae huic calvariae hybridae aptissime iunxit bigam aliorum, integri inquam Sinensis et genuini Malaici Bantamensis.

Collatum cum his cranium hybridae progeniei de quo iam agitur, singulari leuitate insigne, paterno stemmati praeter alia glabellam planam et ad nasum declivem, materno vero mandibulas prominentiores debere videtur.

LXV. *VETERIS PERUANI.*

(— Tab. LXV. —)

Cum in humani generis naturali historia praeter nativas varietates etiam ad eas attendere oporteat quae artificiosae tantum encheiresi debentur, per longas generationum series constanter iteratas, earum quae cranii formam spectant exempla in Caribaeis et Indis Americae borealis exhibui, et nubem testium inde ab Hippocratis macrocephalis ad pontum Euxinum et veteres Siginnos apud Strabonem usque ad recentioris aevi cultioris Enropae nationes pridem alias congessi. *f*).

Inprimis memorabilis videtur ritus priscis Peruanis *Incarum* aevo sollemnis neonatorum capitula in singularem formam diffingendi; cuius encheiresin curate descripsit auctor de rebus Peruviae classicus Jo. de Torquemada *g*). Tempus vero quo mos ille gentilitius sensim exolevit, augurari licet ex cardinalis de Aguirre collectione conciliorum novi orbis *h*).

---

f) *de generis humani varietate nativa pag.* 214—23. quibus adde duumaviros anthropologiae peritissimos W. Lawrence in *Lectures on the natural History of Man* pag. 368 sqq. et J. C. Warren *on the sensorial and nervous Systems.* pag. 100 sq. et 131 sq. Attamen et hodienum extant viri physiologice docti, qui capitis infantilis in gentilitiam quandam formam redigendi artificia in dubium vocant, ut cl Knox in *Memoirs of the Wernerian Society* Vol. V. P. I. p. 218. et cl. Desmoulins in *Histoire naturelle des Races humaines* p. 308.

g) *Monarchia Yndiana*, Sevillae 1615. fol. T. II. l. XIV. cap. 25.

h) Vol. VI. ed. Romanae 1755. fol. pag. 193—208.



LXV. veteris Peruani.

Ipsa autem huiusmodi crania singulari ex pressura contra naturae modulum transformata hodienum adhuc in catacombis sepulcralibus veterum Peruviae incolarum reperiri, praeter bigam eorum, gypso ad prototypa effictorum, quae cel. chirurgus Londinensis J. C. Carpue servat, iam ipsissima genuina Indi calvaria docet ex veteri tumulo (quos Peruani *Guakas* vocant) prope *Quilcam* effossa, qua cl. Alex. Caldcleugh (descriptione itineris triennis per magnam Americae australis partem celeber) museum meum ditavit.

Catagrapho quod explicatione haud eget subiunxi minorem iconem eiusdem caluariae secundum *normam verticalem* quam alias commendavi delineatae.